

46 N° 24
LUDIT IN HUMANIS
DIVINA POTENTIA REBUS!

Quam
DISSERTATIONE
HISTORICO-POLITICO-
ACADEMICA,

De
REPUBLICA
E SUIS FUNDAMENTIS
ATQVE FONTIBUS
ERUENDA,

Consensu eorum, quorum interest,
sub moderamine

VIRI Amplissimi

Mag. DANIELIS ACHRELII,

Prof: Eloq: Reg: & Ord:

Tam Docentium quam Discentium
examine publico candidè
ostendet,

SIMON AXELII LILLIE

GREEN / Nob:

Anno repamie nostrae salutis M DCLXXXIX
die 7. Sept: in Palladio Musarum maximo.

ABOÆ, Excusâ à IOHANNE Winter/
Reg: Typogr: Finlandia

Invictissimi Herois

Ac

Potentissimi Regis
Dilectissimo Filio,
PRINCIPI AC DOMINO,

D^N. CAROLO
XII,

Svecorum, Gothorum

Wandalorumque,

&c. &c. &c.

PRINCIPI HEREDITARIO,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

in æterni obsequii signum
sacrum esto !

SERENISSIME PRINCEPS,

Magnorum Deorum inclyta PROLES,
verè candissima PARENTUM IMAGO,

Septentrionis D E C U S ,

Subditorum L U M E N ,

Incolarum T U T A M E N ,

Eruditorum M O E C E N A S ,

Pietatis C U L M E N ,

Justitiae S O L ,

Prudentiae ATRIUM ,

Omnium virtutum C O R O N A !

Cujus fastigium ,

Ut fulgore aureo atque nitore argenteo

Fulgidum ,

Sic claritatis ac eminentiae radiis

Splendidum ,

Non intuendi sed admirandi copia ,

Submissa animi devotione ,

Sincera cordis veneratione ,

Affabilique omnium membrorum submissione ,

Limina .

ILLUSTRISSE VESTRI THRONI ,

Seposita turpi arrogantia ,

Ac horroris pavorisq; vehementia ,

Quæ quidem me diu tenuere

Ne in odium apud quemquam incurrerem ;

At non tam Potentiae Vestræ magnitudine

Territus ,

Quam Clementiae fiducia fretus ;

z. | Dum

AB: Pollicis

Dum supplicem sustentas,
Ac inopi occurris;
Fayore alios,
Gratia ceteros,
Benevolentia reliquos,
Patientia nocentissimos,
Ingentique singulos misericordia;
Amplecti digneris;
Itaque ego.

Amoris flagrantissimi amplexu,
Vestrīs Regiis pedibus,
Osculando lente advolvor,
Ne irascaris.

Si audaciæ meæ notam inculpare nolis,
At potius, more Regio ignosce,

Quia Regum est,
Neminem à suo aspectu tristem demittere,
Verum aditum & viam potentibus patere;

Hujus intuitus gratia,
Non jam thus & fragantiæ dulcedinem,

Non mineralium & metallorum montes,
Non prætiosissimas gemmas,

Nec aliarum rerum,

In mundo existentium species,

Nam aliis concedere,

Quod ipse nunquam possedi,

Impossibile planè est;

Ergo

Nihil invenio

Tanto PRINCIPE dignum:

præter

Præter

Ingenii inculti mei fœtum;

Ast qualem?

Informem potius atque incomptum,

Non felici JUNONIS ope partum,

Non PALLADIS arte profectum,

Non MINERVÆ cura enatum,

Nec Philosophicâ industriâ expolitum,

Nec Singulari diligentia compositum,

Nec rerum inventione gratiosum,

Aut dignitate verborum conspicuum,

Aut gravitate sententiarum onerosum,

Neque insuper gratiâ quadam elaboratum,

Ante genua tua deponam;

Sed magis desiderat VESTRA SERENITAS

Quam hæ pagellulæ in semet capiant,

Non igitur offero,

Verum

Clementiæ Vestræ commendo;

Suscipe benigne,

Benignitatis vestræ favore,

Ac Clementissimâ gratiâ,

Hocce devoti animi mei signum,

Submissionis tesseram,

Ac submissæ venerationis exiguum momentum;

Tum magis voluntatem offerentis,

Quam tyrocinia mea,

Suspice;

Id verò summis suspiriis

à VESTRA CELSITUDINE contendō.

Te

Te itaque,

Augustissime PRINCEPS,

Augustissimorum PARENTUM unicum solarium,

Subditorum ingens EXPECTATIO,

Terrarum DELICIUM,

GLORIA Gentium,

EXEMPLAR cunctarum virtutum Regiatum;

Servet Deus

In Longam annorum seriem,

Omni felicitate ac prosperitate,

Tam animæ quam corporis,

Incolumem

ECCLESIAE ac REIPUBLICÆ,

Superstitem.

PATRIÆ meæ dulcissimæ,

Parenti meo nunc ad ultimam ætatem proiecto,

Familiaqe meæ satis undique depresso,

Verum & mihi,

Qui TIBI Semper ad extremum hujus vitæ diem

In servire operam dabit,

Ut Fidelitate cordis devinctissimus,

Sic servitio animi corporisque paratissimus,

Imo, humilimus

Clientulus,

SIMON A. LEEGEGREEN.

AESTRA CERTIDINE conque

Viro JUVENI.

Nobili prosapia, nec non literarum gloria
longè condecoratissimo,

Dn. SIMONI Lilliegreen
disputationem de REPUBLICA solerter con-
textam, publicè defensuro, amico &
commiliti sincerè adamando.

Oce Bias olim dixit: RESPU-
BLICA, svavi,
Optima censenda est, quando mo-
deramina legum
Subjecti pariter sectantur, ut omnia jussa,
Principis aut Regis metuunt, venerantur a-
mantque,

Fusius hæc retegit noster conamine multo
Lilliegreen/ qvi discursum defendere, marte
Conscriptum proprio, conatur; gratulor ergò
Grandibus his ausis; succedant alite dextro
Singula cœpta Dei in laudem! propriamque
salutem!

L. M. q; quamvis compluribus
impeditus gratus

Rapissime Aboa
Ipsis calendis Junii
Anni 1689.

SIMON TÆLPO
Met. & Log. Prof. Ord.
b. t. Acad. Rector.

Nat

Natalium, doctrinae, morumque splendore No-
bilissimo Domino Viro JUVENI,

S I M O N I Lilliegreen /

properanter admodum hisce
gratulari voluit,

Ulchra DEI Facies fuerat, quæ
conditor almus
Consimiles homines finxit ho-
nore sibi,

Primum; postea sed turpi deper-
dita lapsu:

Hinc de carne caro nōs miseranda sumus.
PUBLICA tunc RES tuta fuit: nunc perditæ
plane,

Ni DEUS imperio vellet adesse suo.

Ardua sunt, fateor, calamo, quæ mente vo-
lutas,

Lilliegreen/docta: doctior inde redit.

L. Mg.

DANIEL GYLDENSTOEPÆ.

In Regio Dicasterio Affessor.

Q.D. 103. MOMIS

110. 103. 20. 2018
www.hathitrust.org

Nobilissime Dne. L^ELL^EGRE^R/ il-
lustre TUI ordinis Sydus, Amice
Singularis!

 S nativus verè generositatis est cha-
racter, isque insignibus sincerae solus
nobilitatis fulget, cuius preclara in-
doles ad Patriæ felicitatem à fato-
rum benignitate ornandam, ubi semet destina-
tam esse intellexerit, augstiori sua nascendi
sorte, ampliorique eminentioris fortune gra-
du tanquam vehiculo utitur, in civilis dunta-
xat eminentiae capitolium, inque robustæ vir-
tutis sacrarium, quo applaudente cælo, an-
nuentibus bonis, felicius decurrat. Scilicet, ha-
bent illustria ingenia præ reliquis illis Rerum-
publicarum monstrosis, & ad fruges tantum con-
summere natis, hoc sibi peculiare, ut dum hæc,
cum Euphormione illo Satyrico, speciosum tale (si
Dius placet) conglomérant ratiocinium; Cele-
britas nominis invidiam parit, invidia inimi-
cos, mortem inimici, nihil proinde tutius est
ignorantia; dum, inquam, hæc, fumos ac pul-
veres, majorum industria suscitatos jaotant,
ob avorumque suorum generis splendorem se-
quipedali ventre tument, aut emptos sibi pre-
cio aut precibus titulos, pro licentia venditant,
valedicendi pietati, spernendi literas, expi-
landi cistas, purgandi loculos, exsiccandi do-
lia, verrendi granaria, misellosque rusticos

pen-

penitus decoriandi; tunc illa, optimis expoliata artibus, stimulata gloria, divinitatisq; impulsa sensu, sanguinis sui fundamento unicè nituntur, velut perpetuo virtutis testimonio, illustriq; erectæ mentis indicio, in magnum imperiorum decus, suo cum merito, egregiè ex-surgendi. Horum ordini, Commilitonum Doctissime, extra privatum cujusdam necessitudinis respectum temet intuendo, nomen ut inseram tuum, severè mandat unanimis sapientiæ coronæ consensus, adprobant dexterrima cordatiorum de te sparsa iudicia, invitat quoq; elegantissima magnaq; promittens, inq; oculis tuis spirans, Paterni decoris propriique genit; à Numine infusi, temperata mixtura. Ut nihil de adamantina animorum nostrorum concatione dicam, quam sicut primitus vita Tuæ Candidioris integritas, incredibilis artium & scientiarum amor, germanaque fides arctè complicavit, ita quoque eandem morum Tuorum gravitas, humanitatis, comitatis, ac sinceritatis sale condita, adeò roborat, confortat, alit, ut cum firmitate Gordiani nodi, certare videatur. Sed quid est, quod per singula præfagientis animi motu & divinationis ope suffultus, certissima licet Tui ingenii ubertatem præ se ferentia, curiojè ambulaverim signa, sum vel ejus ex eo indubia elici queant omina,
quod

quod etas vix adolescentiae spatia egressa, tan-
ta jam fructuum luxuriet maturitate, quanta
alias superbire soleat perfecta illorum annorum
gratia, que media uberrima cognitionis &
experientie onere turgida, inter illius præci-
pitia pondusq; senectutis stabilis persistere sue-
vit. Imò verò omnibus et si aliis internorum
Tuorum thessaurorum destitueremur indiciis,
sufficeret hocce unum Academicum, nimirum
De Republica Primæva ita politum dolatumq;
exercitium, ut etiam vel malevolentissimi cu-
jusdam meliorem extorquere queat censuram.
Proinde Tuarum ego virtutum sincerus esti-
mator gratulabundus voveo, ut temet tantum
Amicum in præmium laborum maneat fato-
rum favor, Regis clementia, Patriæ amor,
Parentum gaudium, amicorum exultatio. vale,

Aboz è Musæo 19. Calend.

Septemb. Anno 1689

à Tuo

L O R E N T Z Creutz

Jun. L. B.

Nobilitatis ac eruditio*n*is gloria Illustriſſime

Dn. ELLIOT GREER.



Votiens de SALIS efficacia & conservatrice ſpiritu cogito, qvo putredines arcet, corpora que ſuſtentat; totiens veneror admirandam ſupremi Numinis diſpoſitionem. Nec aliter mens mea adſicitur, qvando ætheream illam contemplatur Regiam; Heic SOLIS luſtro ineffabilem claritatem, qvā planetas illuminat, vasta aēris palatia illuſtrat, calore deniqve & fotu promoveret genera- tiones rerum in inferiori mundo. At verò, dum Divinitatis glorioſam Maieſtatem adoro; tum plane perculſus stupeo ad omnem be- dictionem! illam gratiam! illam clementi- am! illos undiqve intra, extra, & circa nos ſparsos æternitatis radios atqve theſauros. Si itaqve nomen Domini laudent astra, ele- menta, meteora ſingula, animalia qvæqve, ſilvæ, montes, camporum lilia, tum aquæ, extra cœlorum clauſtra, dulci refrigerio, tem- perantes molem. Nonne tunc maximè con- veniens eſt, HOMINEM, æternitatis germe, typum atqve heredem, ſermone extollere & vocibus celebrare tanti CREATORIS do- na, munera, magnalia. Imo verò, hæc erit & manebit omnium & ſingulorum cordato- rum

rum hominum obligatio, polus & magnes.
Nobis qvippe suorum mandatorum tabulas
tradidit Deus: Pro nobis effudit sanguinem
ejus unigenitus: nobis lucent sidera, spirant
venti, parturit tellus: Noster intellectus pene-
trat causas & conjugia rerum subtilissimarum:
Nostra voluntas gubernat tot consilia, mores,
actus, leges, ceremonias, molimina tot gen-
tium. Quæ cuncta, postquā altiori animi scru-
tinio ponderasti, JUVENUM DOCTISSIME
mi OPTIME L^EJ^EL^EGE^EE^N! Non de
fortunæ vano choragio cristas erigis; Sed
unicè de pietatis Zelo gloriaris; in virtutum
exercitiis Te oblectas; in literarum palæstra
indefessè sudas; Sicq; præclaris doctrinarum
meditationibus plus laudas CONDITORIS
in Te effusa pignora & dona, quam appara-
tus mundi, quā illi ex Nobilium grege, qvos
nec vigor excitat, nec utilis publici cura tan-
git, nec honestatis ardor inflammat: tanto
belluis inferiores, quanto eorum ingluviem,
intemperantiam, sordes, scortationes, deli-
ria, vincunt brutorū actiones, moderatio A-
nimatum, puritas Columbarum, castitas Ci-
coniæ, prudentia Apum. Sed nimis longè
me à scopo avexit horror seculi, jam in viam
redeo, *Tibi* ex animo gratulor, *Tu* osq; singula-
res profectus, variis publicisq; specimini-
bus notissimos, sinceris elogiiς macto; Inter
quos

quos, haud dubiè èminet hæc DISSERTA-
TIO, tanto gravior, quo sublimior, floren-
tior & magis ardua apparet. Sanè vero cir-
ca initia juventutis volvere tam *vastum sa-*
xum; tam amplum Rerumpublicarum or-
bem; Illa seminia! Illos late patentes sto-
lones & ramorum brachia! illos foliorum
circuitus & fructuum insignia! tam admi-
randam texturam civitatum, Regum privi-
legia, populorum pignora, non vagus, non
tralatitius labor est. Cujus priorem partem
jam vidimus: *Posteriorem* propediem ex-
spectamus, qvam dum meditatione since-
ra & fideli brachio componis, cum bonis illis
vovo, ut DIVINA MANUS, *Te*, prope-
diem euntem ad exteris regiones, ducat ac
circumducat; ut sapientem constantiam fir-
met, ne monstra religionum, *Tuas*, de pu-
ta pietate conceptas ideas, toxico afflatu
disturbent. Ut prudentiam addat, qvâ possis
Regnorum arcana, sacra aularū, dicta docto-
rum, gentium mores, leges, confædera-
tionum vim, accurate indagare. Ut candidè
examines locorum situm, urbium articia, ro-
bora, nexus, lingvas tot populoſum. Et peracis
istis negotiis, ut ex mercatura felicissima
tam egregium CIVIUM SIDUS reducat SAN-
CTISSIMA TRINITAS. Sic optat affectu
prolixiori, quam alias apparatu verborum,

DANIEL ACHRELIUS.

Ad Authorem

Dissertationis hujus doctæ,

Nobilissimi stemmatis gloria, eruditionis
laude, & virtutum ornamentis
conspicuum maxime,

DN: SIMONEM Lilliegreen/

Fautorem & Convictorem meum Hono-
randum officiis omnibus
ωφάνησις.

Gratia sonat nomen, suaves & fundit odores,
Lilia dum sifit, roseæ conformia genti :
Gratius ast quando respondet vocibus omen,
Atq; unum decorant prænobile nomen & omen.
Heic ornat nomen, ceu cernis, gloria clarum ;
Istam sed superat virtutum fulgidus Orbis.
Emicat hinc artis laus ; hinc sapientia splendet ;
Temperat illa magis reliquum nitidissimus ordo
Astrorum. Sic grata sonat nomen : Bona tanta
Illustrat mens, nata DEO, sacrata Deabus.

Qvam honoris causa dedit
DAVID LUND.

Fax juvenum, Frater, nostri spes magna Parentis,
Insuper & cordis portio prima mei.

Cum monumenta Tuae, quæ profers, volvo sophia,
O superi, quantum gaudeo corde, pȳ!

Gratulor ac animo Tibi, mi charissime Frater,
Quando aperis Doctas TE coluisse DEas,

ORTUM REGNORUM nobis TU pandere sudas,
Quis labor, hoc Doctis, gravior esse queat?

Imperii primum monstras simul esse STATOREM,
Æternum Numen sidera celsa regens.

Mox primos inter pariter viguisse Parentes,
Differis imperium, juraque sancta simul.

Plurima, sic gnarus verè sublimia tractas,
Frangere quæ magnos & potuere viros.

Sic via dura Tibi fuit & satis aspera sane,
Doctorum raro, quæ pede trita fuit.

Attamen ipsa nibil tam altè natura locavit,
Quò nici vireus non generosa valeat.

Quæ cum mente tenes, superas obstacula cuncta,
Obstreperet, quamvis Cerberus ipse Tibi.

Te licet & centum remora remoren tur euntem,
Vincere sed centum sedulus ipse potes.

Ergo mane constans, cæptis desistere noli,
Ambi, pro soliro, Pieridesque Tuas.

Laude cluit summa, nam Diva scientia semper;
Dum cadet in curva, falce resecta ceres.

Dum vacuo nec non pendebit in aère tellus,
Dum cœlum stellas, dum vehit amnis aquas.

Sic TU nostrorum famæ conferre nitorem
Ingentem; Frater ter mibi chare paras.

Überiore flagro TE carmine tollere dignè,
Illi tua dona satis promeruisse scio;

Non mibi, sed nobis, vinelum permittit amoris,
Quo sum conjunctus semper Amate Tibi.
Ergo ignosce precor; Faciam, quod cerno licere,
Concipiam tenui carmine vota pia.
Quae Tibi nunc Frater ter dulcis, pectore fundo,
Tu placida Fratris, suscipe fronte, rogo:
Dei Genitor rerum mentis sapientia nostra,
Consilio aeterno pediora cuncta movens.
Dei, precor, ut maneat Tibi semper tempus in omni;
Mens bona sedandi, peius & angue mala,
Sancte virandi, mittat Deus ipse superne,
Lumen resplendens ingenique Tibi.
Ipse stude, quo, virtutum signa subire,
Sint animi comites, gaudia vera Tui.
Temne minas sortis, sic Adversisque Secundis,
Persistas Lætus, (ceu Tua verba sonant)
Sic potes intrepidus tumidas superare procellas,
Nam virtus, diræ non timet arma necis.
Perge dein felix, quo ducunt Te Tua dona,
Perge sequi, quo Te mitiâ fata trahunt.
Sic tandem plenâ Pallas cum præmia dextrâ,
Digna Tibi donet, deique perenne decus:
Evades Patriæ (nisi nos auguria fallunt)
Delicium terræ, fulgida Stella simul.
Ast! ut propositum possit succedere tantum;
Immensi faxit, qui regit astra poli !!

Carmina festinans tenuis sic fistula lusit,
Hæcce pio Fratris pectore ducta Tui.

EPHRAIM A. Lilliegreen.

Salve

DN: SIMON Lilegreen/

*Pietatis & Humanitatis Sympalæstrita Stre-
nuissime, Patriæ spes, Parentum exspectatio,
Nobilitatis bonos, Amicorum Princeps!*

 D sacram veritatis amissim, æquumque
judicii auripendium, præcipua divini-
tatis magnalia, actionum molima-
fatorum catenas, curiosus quidam tan-
torum operum si ponderare voluerit
Contemplator; is ritè cognoscat, eundem universi
Præsidem, eundemq; æternum sine labore Opificem,
sine cura sospitatem, sine propagatione Patrem, ex
levissimis plerumque initiis, ex viliissimis seminiorum
minutiis, maximarum rerum fastigia, sapienter su-
scitasse. Reflecte quæso radiantia mentis oculorum-
que lumina in secretiora priscorum seculorum ady-
ta, vel potius missis ambagibus, per retromeantes
temporum gradus, cogitationum tvarum velocitate,
ad prima usque mundani hujus amphitheatri ver-
nantia limina, cautius descende; & confestim sese
Tuæ sagacitati objiciat horrida quædam ac rudis cha-
oticæ molis incondita massa, ex cuius tamen incuna-
bulis, quidquid majestatis, quidquid elegantiæ, quid-
quid pulchritudinis, quidquid denique splendoris,
pendulum huncce, perpetua volventis cœli, currenti-
umque siderum fuga circumscriptum, condecorat
globum, magnifice emersit, surexit, pullulavit. Persen-
tias pariter, non auri gloriā, argenti nitorem,
gem-

gemmarum dignitatem, opali colores, smaragdi viriditatem, Amethysti purpuram, Carbunculi ignes, superbamque margaritarum pompam, aut alia sumptuosorum, quibus impotens hominū libido pretium imposuit, sed minutissimam argillæ partiunculam, paucissimas pulvereas atomos, neglectamq; lutis sorditem, in ejus animalis coaluisse structuram, cuius excellentiorem corporis habitum, admirabilis partium sicut honestat textura, binæ oculorum stellæ scintillando illustrant, roseoque liquore tincta, albican-
tium genarum venustat gratia, sic divinæ particulae auram, cœlesti spiramine infusam, principale ac regium rationis extollit beneficium, singulare & liberum voluntatis nobilitat privilegium, imò jucundum orationis, ex muro dentium proficiscentis, ita commendat artificium, ut meritò habeas, quod admireris, quod suspicis, quod obstupescas; Intelligas denique ex accuratori illa actorum revolutione, immensa imperiorum pondera, Regorum culmina, principatum sublimia, aut elevata Rerum publicarum juga, ab ipsis statim totius natalibus, ea altitudinis ad diadematum non rutilasse eminentiâ, in quam, adolescente naturâ, eadem reposuit, posterior annorum series, uberior mortalium locupletatio, arctiorque complurium, intrinseco svadente impulsu, moderante ratione, annuente consensu, peracta societatum combinatio. Hæc tamen futura, tam magna tantaq; conamina, in placidissimo unius ADAMI, conjugisq; EVÆ, radiabant regimine. Scilicet, ambulavit hæcce, sapientiæ lumine largius perfusa, sciendiæque gloriâ mirifice dotata, coelestium propagi-

num biga ; & qvidem maritus tanquam moderator
summus, Monarcha potens, Rex serenissimus ; Mu-
lier autem velut Regina Clemens, Mater viventium,
Exemplar virtutum, specimen morum , amabileque
humanæ consociationis levamen, inter delicatas pa-
radisiaci illius Palatii delicias, inter residentem mi-
cantium florum apparatum, inter opima arborum,
suis ramis lascivientium spectacula, inter vites diffusa
corymborum luxurie collibus inserpentes, inter
dulcissimos, sinuosis flexibus atque mæandris ober-
rantium quatvor fluviorum susurros, inter savissi-
ma molliter spirantium favoniorum murmura, gra-
tissimaque Etesiarum blanditias , imò denique in-
ter melliflua oscinum fractis vocularum modulis
fundentium tripudia , iisdem ferè finibus , spa-
tiōsum suæ dominationis complexum , quibus
laxissimus solis terminatur cursus , amplissimè de-
scribens ; Sed nec parentium, magistratui ac Domini-
nis præstandi obsequii , heic exulabat gloria ; Vide-
res enim illic Leonum catervas, ibi tigridum exerci-
tus, alibi Elephantorum greges, ursorum agmina,
balanti cvium intermixta cœtui, omnesque anima-
lium classes, quæ incolunt sylvas, maria inhabitant,
alarumque stipata remigiis, libero vagantur in cœlo,
deposita feritate, instar subditorum se suaque in fi-
dem & clientelam Imperatoris tradentium , pronis
ad terram capitibus, reverentiæ Zelum indicare , a-
dulantibus caudis submissionem monstrare , suaque
sponte officiorum servitia, promptissimè offerre. Ne
autem vitiorum enormia, flagitorum sclera, auda-
ciæ livor, superbiæ tabes, voluptatum pestis, intra-
secre-

secretiora felicissimi hujus Regni sese insinuarent vi-
scera: Ecce in auribus Protoplastorum, non à SATUR-
NO promulgata, non ab ÆGERIA aliquâ sancita,
nec à TESTA quâdam ficta, execrabilia legum reso-
nabant dogmata, sed divinorum meletematum ora-
cula, vacivas earum ædes perpetim implebant; præ-
terquam quod ad rectæ rationis fores suspensa Ta-
bula, honestorum monitis, turpiumque abhortatio-
nibus masculè tonans, sui officii eosdem admone-
bat. Cæterum, nec respuebant regalia hæc sceptræ, so-
lennia Ecclesiastici munera religionisque Sacra;
Audires etenim primum illum mysteriorum Præ-
conem, Ecclesiæ Antistitem, haudquaquam ex sor-
didis scolaisticorum lacunis, ex putidis Philosopho-
rum cinnis, verum ex limpidissimis Israëlis fontibus
haustas, derivare conciones, aut copiosis sanctorum
præceptorum imbris, novellas suas ac teneras in
horto DEI depactas ac consitas plantas, abun-
danter rigare; spectares quoque EVAM pietatis a-
more inflammatam, non solum Tanti Plasmatoris
miracula, ad superna usque plenis faucibus extolle-
re atria, aut diligentí devotionis cultu, cum optimo
marito vehementer certare, sed etiam ineffabilem
illam Templi, ubi hæc peragebantur festivitatem,
ad ejusmodi effusa suspiria, preces, vota, hilaritate
multa, affatim gestire. Coronabat denique primævæ
hujus status, eheu brevissimi! Illustria incunabula,
arborum tam vitæ, quam scientiæ boni & mali, sa-
cramentorum vices obeuntium, gratissima præsen-
tia; Ita ut certò concludere liceat, nihil tam ma-
gnum, tamq; excellens POLITICÆ hodiè sive inniti-

basi, sive māmoreā RELIGIONIS fulciri columnā,
cujus imaginem, simplicioribus quamvis superstructa
pedamentis & in ipso flore veluti deflorescens solaq;
innocentia tuta, pacatior eiusdem non adumbravit
OEconomia. Sed quid in hiscē mea consignandis desu-
dat operosius crena, cum harū præcipue rerum sitienti-
bus animis. æternū hocce, MI AMANTISSIME Dn:
doctrinæ TUÆ monumentum, uberiōres cognitionis
undas, fecundiōresque liqvores, largius infundat,
copiosiusque instillet; quin potius ea, in TUA pro-
ruat, fervidiori gaudio prægnans præcipiti cursu, ve-
rissima elogia promeritasque laudes; Qvas sicut jam
dudum, gloriōsa non paucorum solertiæ specimi-
num divulgatione, ab Upsalensibus TIBI lucrasti
Mūsis, ita quoque tum fortunæ, tum famæ alendæ
ergo, non grave ducis, consimilem encomiorum
mercatum, in communi hocce sub boreali ursa funda-
to sapientiæ EMPORIO, honestè facere, amoenissi-
ma pariter sedulitatis ac diligentia explicando folia.
Nimirū progerminat è politiori TUÆ nunc mentis
sacrario, hæc DE REPUBLICA PRIMÆVA & elab-
orationis artificio spectabilis, & sua raritate ita co-
ruscans nobilissimæ materiæ sublimitas, ut nescio,
an alia in universo Philosophiæ regno sit facilis
inventu, quæ comparationis arenam cum eadem
inire queat. Certè, si pleraque gravioris meditamen-
ti eā insigniuntur notā, quod tractent res grandes,
ardua excutiant, & ab hominum memoriā remotissima
tanquam ex absconditis cryptis in conspectum pro-
ducant, utique hic TULLUS, AMICORUM OPTI-
ME, discursus, potissimo Jure iisdem superbit; Ejus
quippe,

quippe; ut reliqua taceam, profundior notitia
multitudine seculorum & antiquitatis situ, obl-
terata sepultaque jaceret, nisi solus & unus MO-
SES, sol ille ac parens Historiæ, omne quod natura,
inchoaverat, sapientia perfecerat, posteritati commu-
nicasset; Hinc divini eloquii rore non irrigatus Eth-
nicorum calamus, hoc in Philosophandi genere vel
penitus silet, vel somniis ac delliriis turgens, um-
bratiles tantum lituras dicit: Quidquid enim de suo,
SATURNO, Cœli Filio, in propria sua sœiente vi-
scera, aut de suâ JSIDE Reginâ Ægypti fabulatur
antiquitas; quidquid de dulci modulamine svavissimè
cantillantis ORPHEI, eoque consociationis igniculos
rabidis mortalium pectoribus instillante, melliflua
OVIDII ebuccinat ayena; de pomposâ Adonici hor-
tus magnificentâ gentilium balbutit lingva, de pe-
remptoriâ animalium, ex CRATETE comminiscitur
citatione ATHENÆUS, quidquid deniq; de cumulatâ
aureæ ætatis felicitate, radiantibus summi Rectoris
gubernata sceptris, aut vice versâ, de miserabili ho-
minis, fortunæ & Dœmonum ludibrio subjecti con-
ditione, ex figmentis quasi coagulata Poëtarum di-
vulgarunt cerebella, id per vetustissimas traditionum
canales, impurâ variorum cōmentorum lymphâ tur-
batas unicè profluxit. Verū, NOBILISSIME DOMI-
NE, adulatoriis quibusdā pigmentis, aut coloratis ver-
borum phaleris, sive nominis TUI Claritatem, sive
celebritatem operis, curiosius evchere nolo, cum il-
lud nativæ suæ lucis fiduciâ splendescens, hoc verò
tanquā externi fuci minus indigum, adscitios colo-
res alto supercilio spernant; Ultraq; autem in eorum
dun-

duntaxat encomiis sua reponant trophæa, qui ipse met
aliquid didicere, & veritatem sine malignitate sectari,
ingenuè norunt. De cætero, O FLOS GENEROSÆ
JUVENTUTIS, laudabiles excipient tuos conatus fe-
licissima fata! & quemadmodū in amoenissimis hacte-
nus Pieridum secessibus succo & langvine sapientiæ
pectus inundasti Tuum, ita dehinc, ac proporrò PA-
RENTUM nobilitati, aucupio virtutis & Doctrinæ
novam superaddere perge; Semperq; perpende illu-
striorem nunquam existere victoriam, quam ubi de
virtute virtus triumphat. Vale.

J. MUNSTER.



Salve



Salve Lector benignissime, Censor justissime,
liberalium artium æstimator optime , ob
virtutum doctrinæque notam, vitæ ac
morum elegantiam, à singulis sem-
per amande, honorande!

Dum persuasiones quorundam, qui-
bus omnis debiti tam amoris quam
obsequii necessitudine adstrictus de-
vincitusque fui, me alliciebant, ut
opusculum quoddam conscriberem, ac demum
conscriptum in lucem emitterem; quorum de-
sideriis, mox mentem subiit anxia pensa-
tio, utrum satisfacerem? sed ab una parte me
retinuit virium infirmitas, an autem omnia
intacta relinquerem? ab altera animum diu
variis in procellis agitatum vexabat ejusmodi
periculi expositio. Hæcce verò ad exactiorem
pensitationem die nocteque volvens, tandem
quin illis consensum præberem, nullum dubium
requirebatur, dum parturientibus aliis, me
unum sterilem esse puduit, id etiam calcar
quasi addere currenti coëgit. Sed quid acci-
dit?

PRÆFATIO:

dit? cum voluntati meæ morem gererem, caslamum chartæ imponendo, mox selectio habebatur, quale eligerem argumentum; scrupulosa investigatione habitâ, divina providentia ad hanc materiam componendam, quæ jam legentium oculis subjicitur, compulsus fui. Id cum clementia cœli, Sydere fausto, serenaq; tempestate perfeci: confessim iterum mibi tanti fervoris pavorisq; stimulum incusit rerum variatio. Dum ejusmodi homines, qui ex abdito fama sui perfruantur, atque in lucem sese protrahendi valde cupiditate flagrant, seu destituto omnis scientiæ rore, aut exiguae plane notitiæ scintillula acquisitâ, statim in publicum ista levitate prodeunt, contendendo summo studio sui memoriam æternitatis albo inscribi; quod quidem interdum consequuntur, atque ea ratione laudem repor-tant, detrabuntque aliis, qui summis vigiliis, indefesso labore, sola saltem virtute adyutum spinis obseßum intrarunt, robustamq; sapientiam per tantas difficultatum syrtes conciliarunt; hos rursus pro meritis à nasutioris frontis homunculis summa affici ignominia, luget experientia, testatur præsens seculum. Est-ne hac deploranda conditio mortalium? ut illos,

PRÆFATIO.

illos, quos loco amoris estimandos esse, odio
cœu susque deque habeant. Et quamvis com-
munis hic obtrectationis calumniaq; livor, as-
siduus virtutis gloriæque comes, eorum scri-
pta insolenti violentia accusant, impudicâ
audaciâ iis insultant, quorum divini ac pror-
sus stupendi ingenii ac acuminis prosperitati cul-
tiores literati Orbis gentes sponte sua ultròque
fasces submittunt; si autem iis, artium libe-
ralium Heroibus, excellentissimis donis Illustri-
bus, Literatorum Phosphoris, suæ eruditionis
fulmine Clarissimis instar luminum terrarum
fata longè durius incumbunt, multò magis mi-
bi, qui infime classi tantum annumerandus,
agredienti primitias basce offerre, eveniat.
Hisce itaque omissis ad Te, Candidissime Le-
ctor, memet accingam, ut hosce jam meos stu-
diorum progressus, rudes, ac impolitos, quos
sub difficultatem maximam latentes favorabi-
lioris sinus amplexu comiter blandèq; excipi-
as, atq; solita ingenuitatis tuæ radiis, sepositis
ac repulsis invidentium nebulis, lucescere pau-
lulum sinas, imò splendescere facias. Id certò
certius mibi promitto, dum hrud rarò conti-
git iis, qui benevolentia sua insignium medi-
tationum pensatores ducuntur, tum & spe-
rantur

PRÆFATI.

rantur, punitores *pessimi*, vindices acerrimi,
inveniuntur, haud in mentem sibi revocan-
tes illud cunctorum naturæ infusum,

Quod tibi non vis fieri, alterine feceris,

Illud autem ingenuè fatear, me, nunquam cu-
pidinem quandam invasisse, ut proprio Marte,
aut pruritu aliquali, nec temeritatis, curio-
sitas, inanis gloriae, vanæque fiduciae avidi-
tate banc dissertatiunculam typis committerem;
sed, ut supra indicavi, Insignium virorum
benè mibi cupientiū commotiones id effecerunt,
ut partem imprimis DE ORTU REIPUBLICÆ
IN STATU INTEGRITATIS, sua sanè laude
haud defraudandam, tam obsuam sublimitatem
& majestatem, quam ob raritatem, nunquam
antea, quantum mibi quidem constat, agitatam
actali methodo formandam candidiorum ex-
mini sisterem. Consequentem sectionem de
CONTINUATIONE REIP. IN STATU ANTE
DILUVIUM, ob temporis angustiam, ob curta su-
pellectilis penuriam, ob immaturitatem inge-
nii, ob tenuitatem fortunæ, cum ob varias occu-
pationes negotiorum, tum ob magnitudinem
sua mole laborantem, prælo subjicere mihi hac
vice non licuit, quæ tamen quoad perfectionem
suam suis pro tempore nititur fulcris; id iti-
dem

PRÆFATIO.

dem testimonium perhibebunt illi, quorum visui obnoxia fuerit; & ingredientibus post hac meum Musæolum, illud haud minus politè confessum opus posterius inspiciendi rimandique aditus patebit. Donec affulgente occasione, sincero favore ac infucata affectione me amplecti ne graventur, verū dignentur; ex qua remihi viam quasi pararent non solum ad bocce perficiendum, sed majora supra vires tentanda. Ultimò inficias ire nequeo me heic multa inopia librorum & festinatione nimia intacta reliquisse, quæ tamen in rem præsentem debuissent annotari. Citationes omnes consulto omisi, hanc ob causam, ut cum ad maturitatis limites pervenerim, inter maturiora etati meæ convenientia de novo tam eas, quam objectiones collectas cum suis responsionibus tangam, quibus iterum animadversiones & notas politicas huic rei necessarias adjungam, fugiens pro temporis necessitate omnem prolixitatem tam rerum quam verborum, tantum in compendium committere ea, quæ volui, animus fuit; quoniam alias meos sustinenda huic moli prorsus impares agnovi humeros. Sciat proinde quilibet, quod nihil majus decet Philosophum, quam in amore veritatis & moderata judicandi libertate perseverare; nihil abomi-

PRÆFATIO.

abominabilius turpisq; deprehenditur, quam
rerum omnium dominatricem Intellectum
mancipare servum & mancipium alienæ op-
nionis, plusque auctoritati aliorum inhærere,
quam animi certi sententia tribuere. Idcirco
SENECÆ nunc utar verbis; Non me cuidam
mancipavi, nullius nomen fero: multum
Magnorum Virorum judicio credo, aliquid
& meo vindico; nam illi non inventa, sed
quærenda nobis reliquerunt. Tuum jam
erit, C. L. mibi tuos candidiores affectus im-
pertiri, ut dum scripta mea manu volvas, vo-
luntatem tunc magis, quam ista magnificias;
si censorem Te exhibeas, mitiorem in partem,
quod æquissimi Judicis est, interpreteris. Quia
juveni sufficiat saltē tentasse, at impossibi-
le est cuncta ex aſſe aſſequi posſe. Hæcce
cum legis, altius perpende, ac me à morsu
iniquorum defende, id non meritum meum
desiderat, sed ipsa postulat humanitas. Vale,
& bifice aliisque meis ausibus semper fave.

SAPI-

SAPIENTISSIMI ARCHITECT
LEVAMINE!
DISCURSUS



De
ORTU REIPUBLICÆ
IN STATU PRIMÆVO.

SECTIO ANTECEDENS,
UBI VERBORUM PRIOR, RERUM
POSTERIOR EST INTER-
PRETATIO.

ARTIC: I.



Causam.
otius u.
niversi
producti-
onis loco
procœmii
expendet-
Antam diversarum,
in hoc celeberrimo Omnipotentiſſimi Concorde oris
theatro, volventium rerum, tam cœlestium, quam terrestrium, tam superioris
conditionis arcanorum, quam inferioris
vicissitudinis consiliorum, ac tam ma-
gnificam excellentiam, glorioſæ pompæ
magnificentiam; quæ cum concordis
discordiæ & discordis concordiæ sensu,
mentibus, cum profunditatem, tum sub-
limitatem earum scrutantium ſeſe inſi-
nuat, non potest non humani intellectus
imbecillitas, animo in admirationem ra-
pto, oculorum acie pulchritudinis dele-
ctanti vehementia & amoris indulgen-
tia captivata, perpendere, lustrare, con-
templari. Hæc autem Mysteria, hæc
magnalia, imò divina prorsus, & extrin-
ſeca

seca ac accidentalis, & intrinseca seu essentiali sua bonitate coruscantia operum molimina, nemo unquam curiosè pervadit, nisi is, cuius cognoscendi aviditas, per potissimas illorum classes, per iter ad causam totius hujus productæ universitatis deducens, inoffenso pede castissimè ambulat. Objicitur proinde omnium primò in aspectabili hujus orbis circulo anxiè indagantium vultui, elegantiissima cœli sphæra, terreno corpore longè pulchritudinosa potiorq; nulla injuria unquam corrumpenda; In qua rotundam naturæ machinam spatiösè ambiente, incredibili artificio, tot stellarum facies, tot syderum ignes, tanquam micantes gemmæ, splendentes margaritæ, insculpta fulgent. Inter hos sublimium luminarium globos, primam sibi vendicat sedem, ut reliquorum ille Dux, Princeps ac Monarcha, sic cunctorum simulachrorum decus, Sol videlicet, qui ab oriente per gradus veluti quosdam in meridiem contendens, nunc hanc, nunc illam, nunc aliam ulterius regionem, diffusis radiis illustrat, spatiaque particulatum minimarum volitantium immensa, fulgentissimo suo lumine implet, ac per-

fundit; quiqve aureo suo fulgore, jam
 ortum, rursus occasum, dies noctesque
 revocat, nec non horarum, hebdomada-
 rum, mensium, annorum, omniumque
 temporum cursus, distinctione, ac vices
 rerum, sua variabili pictura designat;
 præcipue dum illam Zodiaci lineam, du-
 odecim distinctam signis percurrit, mo-
 dò vernam temperiem, modò æstivalium
 dierum gratiam, summâ cum amœnitâ-
 te nobis offerendo, modò fertilem au-
 tumnum efficiendo, modò sævam hor-
 ridamque hyemem longius profligan-
 do. Huic confine est, opacum & sy-
 dereum corpus Lunæ, moderatoris sui
 luce tantum superbiens, humorisque ac
 generationis Domina existens, cuius
 quoque mutabilis facies, argenteo suo
 splendore, vel augetur vel senescit, nunc
 in cornua curvata, mox æqua portione
 divisa, paulò post in orbem sinuata, re-
 pentè nulla conspicitur. Taceo pariter
 ætherei oceanî limpidissimam ac subti-
 lissimam auram, summa constantem
 conspiratione: Taceo nexibus unani-
 mitatis extensem aërem, etiam penitis-
 simos rerum pervagantem poros; le-
 ni aura ac tenuitate sua cuncta vegetan-
 tem,

tem; adhæc imbres contractis nubibus, hisce verò congelatis nives gran-
 dinesque effundentem; nunc vicissim
 serenitatem depulsis nubeculis egregiè
 recipientem. Nihil de aquarium miracu-
 lis referam, aut de liqvore, jam è suis
 fontibus profluente, jamque tripudian-
 te in fretis, aut latè patentibus maris
 spatiis, licet summam terram emineant,
 suis tamen contenta sunt terminis, ut li-
 mites sibi præscriptos etiam in maximis
 fluxuum & refluxuum agitationibus un-
 quam excedant; nec terram obruunt
 & operiunt, sed quasi reverentiâ quâdam
 seu lentè à littore repunt, seu subito fugi-
 unt. Prætero penetrabilem ignis sub-
 tilitatem, qui in totâ suâ natura fervidus
 viget, ceterisque omnibus salutarem
 impertit vitalemq; calorem; undè cum
 cunctæ fere mundi partes eò sustenentur,
 procreandi vim, causamque gignen-
 di, ei inesse, non obscurè colligitur. Tan-
 dem, silentii peplo planè terræ involvam
molem, dignitate & præstantiâ suâ nullis
 pulcherrimi hujo mundi partib⁹ inferi-
 orem; at densis & diffusis sylvis arbori-
 bus multa fronde vestitis, campis ampliis,
 montibus altis, odoriferis herbis, floris

bus collucentibus exornatam: Omnibus
 verò vestimentorum & frumentorum
 generibus in sustentationem vitæ copio-
 se abundantem. Hisce omnibus recen-
 sitis, tam magnetica mutuæ consociatio-
 nis inspirata est harmonia, tanta series,
 ineffabilisque concentus, ut unius etiam
 minimam solutionem, alterationem, seu
 passionem, alterius corruptio, imò inte-
 ritus certò certius insequatur. At verò,
 quod Aér incolas, hoc modo, proprios
 agnoscat, veluti aves alarum remigiis
 pulchras: aqua pisces peltá squameā
 indutos: tellus infinitas rerum species,
 & in ordine ad nos, planè innumerabiles;
 quod, inquam, deprehendimus statos su-
 periorum domiciliorum cursus, certas
 astrorum trajectiones, notabiles even-
 tuum commutations, constitutis vici-
 bus insignes; num fortunæ temeritati
 aut viribus alicujus materiae adscriben-
 dum? nequaquam; ast plenis potius
 faucibus profitendum, Deum molitorem
 hujus fabricæ summum, sicut cuncta cre-
 asse, & per omnia secula sua benignitate
 ac prudentiâ moderasse, providentiâ
 temperasse, ita quoq; eadem suæ cele-
 brationis, honoris, ac gloriæ manifesta-
 tione

tione nec non universi humani generis gratiâ, sapientissimè produxisse. Idque dilucidiū patescat, si mentem oculosq; reflectimus ad primam rationalis naturæ stirpem, ADAMUM, quem in palatium à se conditum cum induxisset Creator, tan- quam eorum, quæ fecisset, contemplato- rem ac Dominum, in amænissimo loco, deliciarumque plenissimo, collocavit, terræ, mari, ceterisque præfecit, quæ ad hominum usum comparata erant; eiq; tantam sapientiam attribuit, quanta præ- ditum esse debuit Divinum illud Ani- mal, quod non aliis modò imperaturum erat, verum initium etiam allaturum iis, qui in omni perpetuate consequentis temporis regimen obtinerent. Huic in- super durante adhuc conversatione Pa- radisiaca jucundissima, nihil sentienti miseriae, nihil percipienti indigentia, sed aspicienti nascentis mundi principia, progressiones, imò, obstupentibus sensi- bus, intento animo, sagacioris mentis lance perspicienti rerum cœlestium, aë- riarum, atrium, aquatiliumq; naturam: aliarum durationem, constantiam, cele- ritatem: aliarum incrementorum, & decrementorum repentinæ mutationes,

tarditates; ne solitariam ageret vitam,
 conjuncta est socia, decora facie, ac venu-
 sta corporis mundicie, sexu diversa, na-
 tura tamen, conditione, atque forma e-
 adem, cuius potiundi consortii ADAMO
 omnium mortalium parenti ac genitori
 ingens invasit cupido; unde ipse etiam
 illam nomine & omine Eam per invi-
 tationem omnium membrorum junctæ
 amabilis conspirationis, sincera fronte,
 lætis oculis, ore blando, grata facundia,
 imò, ut rem omnem verbo complectar,
 candidæ totius faciei vigore, omnibus,
 cum animæ, tum corporis partibus, ad
 lætitiam inenarrabilem profusis, viro o-
 mnis tunc perfectionis tam excellentiæ,
 quam sapientiæ compote dignis, allexit.
 Cujus petitioni & desideriis cum gaudio
 comiter ab illa exceptis, majore castissi-
 mi amoris efficacia, & voluptate penitus
 prona, suffragabatur fœmina. Conjuncti-
 one igitur facta, auspiciis divinis, hæc sta-
 tim ubera præbuit familiæ, illa iterum
 civitati, quæ nihil aliud est, quam simili-
 cium perplurium congeries & composi-
 tio. Ex hisce levibus initiis omnium
RERUM PUBLICARUM fastigia, sua for-
 tita sunt incrementa, quæ tanto etiam
 excel-

excellentiori gaudebant beatitudine,
quò firmius unicuique ad oculum elu-
cescit, eadem à vitiorum fuisse sce-
leribus remota, honestati verò proxi-
ma, imò virtutum omnium in hacce fra-
gilitate vitæ perfectissima Schola.

Cujus viam introitus vobis latius ape-
riundi, ac istius rei unicuiq; ob uberiorem
cognitionem manifestandæ ergo; nequa-
quam mearum virium nixu, sed divino
ductu per felicem ingressum, feliciorem
successum, progressumve, felicissimumq;
tandem egressum, nunc telam ordior.

Art: II.

Expansis hoc modo meæ intentionis
velis, ex inveterata verè Philoso-
phantium consuetudine, à re mea non
esse alienum duxi, paucis præprimis in
ipso limine hujus discursus, priusq; ad
ad alia memet accingam, *de Definitione
Nominali seu Ονοματελεγιᾳ REIPUBLI-
CÆ* verba facere, qvò deinde transitus
mihi sit ad intimiora longè expeditior.
Neminem enim latet, ignorantis Εὐρη-
κ; vocis, interiores ipsius rei recessus
vix patere. Hanc ob causam originem

Etymolo-
gia Rei-
publicæ.

vocis investigandam, investigatam sub examen revocandam esse, in animum induxi meum. Nonnulli existimant vocabulum *REIPUBLICÆ* descendere à verbo *publicandi* i. e. palam indicandi seu potius gerendi, administrandi, propisciendi, &c. Et nomine *rei*, quasi res, quæ publicè geritur. Quidam originationem ejus deducunt à re, quæ negotia & actiones personarum includit, & voce, *Publicus, a, um*, quam vicissim alij à populo derivant, quasi Res populi esset; cuius sententiæ sunt Fautores, AUGUSTINUS, CELLARIUS, PRÆTORIUS, alijq; perplurimi magui nominis viri; consonat & hisce lingvæ Gallicæ à Latinitate promanantis genius, dum *Republique, à le bien publicque*, à bono publico; In quo pariter *REIPUBLICÆ* Regimen optimū consistere à politicarum rerum peritis verè præsumitur. At Græcum Idioma *REMPUBLICAM* per Πολιτείαν, quæ, est forma civitatis, & finis internus materiae & subjecti proximi, enunciat; lubit natales inquirere hujus in verbo Ρεπουβλικα i. e. *REMPUBLICAM* gero; Unde denominationem accipere οἱ πολιτεῖαι ἄνθρωποι, homines civiles, *REIPUBLICA-*

BLICÆ administrationis causa, in civitate degentes, à qvorum ordine sicut eliminantur falsis technis alias deludentes, omniq; astutiâ, & fallacijs instructi varijs; Sic ijsdem solum annumerandi sunt in civili Prudentiâ Excellentiores, honestisq; civitatem artibus, ex æqvo & bono, ad mandatum cœli atqve ad Imperium rectæ rationis unicè dirigentes; Qui qvoqve sint memores præteriorū, præsentium qvasi, experientia assiduâ in futurorum momenta descendentes. Ceterū quoniam locus hic, qui in resefanda verborum occupatur significacione, non magna usq; adeò scaret difficultate, qvapropter diffusorem ejus cæteris relinquent explicationem, ad ea properabo, qvæ graviore rerum pondere onusta esse videntur.

Art: III.

Cum autem immediate accuratior Homo se nunc mihi objiciat ea pensatio, qvæ vocis alicujus diluere solet æqvivocationes; Idcirco tam genuinam, qvam varias variorum Auctorum circa præsenterunt materiam acceptiones enodare, paucis-

paucisq; delibare saltem animus est. Sci-
 endum itaq; **REPUBLICÆ** nomen,
 vel subire considerationem *Latiorem*,
 dum pro qvovis Imperio, legum guber-
 naculis, qvod regitur, venit: Vel *stricti-
 orem*, dum pro sola administratione civi-
 tatis; *ad aquatē verō*, formam à paucis, vel
 pluribus duntaxat constantem indigitat.
 Accipitur alias secūdum **BOSIUM** modò
abstractè, ut (1) pro ordine Imperanti-
 um & Obedientium in civitate iisdem
 juribus fruente, (2) juxta ARISTOTE-
 LEM pro re, qvæ totius est civitatis aut
 societatis, seu qvæ pertinet ad civilem
 societatem (3) pro civitatis statu, judi-
 ce TACITO, in libro Annalium. (4)
 pro militari imperio, in Comædijs
 summâ industria conscriptis, Auctore
 PLAUTO. (5) pro utilitate civium
 & salute publica; Ut Politicis nervum
 totius ex asse tangentibus visum. Mo-
 dò *concretè* æstimatur, pro multitudine
 vel cœtu hominum in unum honesti &
 utilitatis causa congregato, ut Schola
 loqvitur. Verùm a qvibusdam *genera-
 biter*, pro qvovis imperio, in variis locis,
 ut apud **CONRINGIUM**. Huic paulò
 alio sensu assentitur **HIPPOLITUS A
 LAPI-**

LAPIDE. Pro regno, pugnat FORSTNERUS in notis suis ad TACITUM; cui quoque album calculum addunt Scriptores alii haud infimi subsellii. Sed horum nomina jam recitare prohibet consideratio rerum. Pro domino militat multorum Auctoritas, in quibus eminet NOB: PUFFENDORFIUS prolixo juris naturae doctorum ordine stipatus; Vel *Specialiter*, pro quovis civitatis nulli alteri Subjectae gubernationis modo sumitur, testibus CONRINGIO & FELDENO. Et revera in genere, ut antea innuebam, tribuitur omnibus tribus rectis formis *REPUBLICA*, quia haec illas in se includit, ut genus speciem. Neque moram injiciam vocabulis, *CIVITATIS* & *REIPUBLICÆ*, quamvis quidam anxiè in ea inquirant, ac deinde contendant, jam *conceptu universalis*, jam vero *particulari*, distinguvi ac discriminari. Etsi parum ad rem faciat materiae cognitio, si non adhibueris formam, cuius partes in Fabrica humani corporis Anima masculè sustinet; Nec civitas dicitur sine civibus, eorumque justa administratione; Consimile quoque de superioribus antedictis

Judici-

Judicium esto. Volventibus, qvotupli-
ci modo Imperij & Regni vocularum
origo effertur, ad manus semper erunt
Celeberrimi Scriptores, PUFFENDORF-
FIUS, BOSIUS, tum BOECLERUS, & a-
lii scriptis publicis clarissimi.

Art: IV.

Synony-
mia Rei-
publicæ.

HIsce antecedentibus leniter leviterq
libatis, tandem pedem jam pro-
moveam ad voces eandem acceptio-
nem significationemve cum *REPUB-
BLICA* admittentes. Qapropter no-
tio in civitate Græca exprimitur per
τὸ πλένυμα τῆς πόλεως i. e., *Summum
Imperium*; Ut oculis cernere licet a-
pud FELDENUM, JOHANNEM FREI-
GIUM, in qvæstionibus ejus Politicis,
& CONRINGIUM, qvamvis hic vocem
Imperii in qvibusdam locis Germanis
solum competere, & nullis aliis summa
licet & absoluta gaudentibus potestate,
assertum eat. Tum autem *sensu The-
ologico*, non verò *Politico*, ejus a parti-
bus stare queā. Idem Judicium ferendum
est de *Regno*, qvod legentibus FORST-
NERIUM, in ejus annotationibus ad TA-
CITUM

CITUM liquidò patet. Dicitur præterea administratio seu forma ipsa, prout Politorum subsellia nos edocent. Præfertim verò vocabulum τὸ πολιτεῖας i. e. *Politiae*, agnoscit CELLARIUS, alio modo, ut *ordo Civitatis*, sicut visum est Reverendissimo Dn. Doctori GEZELIO, summæ venerationis & eminentiæ Viro, CONRINGIO, JACOBO MARTINI, LIEBENTHAL; Civitas, qvæ vitæ melioris honestatisq; custos, ac pacis munimentum, est pars REIPUBLICÆ, inquit PRÆTORIUS; atq; sic pars potest prædicari de toto & vice versa. Tametsi hæ voces apud omnes etiam distingvantur *materialiter* & *formaliter*, ut supra expositum est. BOSIUS ad notitiam Rerum publicarum, & BECMANNUS in historia Orbis terrarum nominant liberas Civitates, *REIPUBLICÆ* nomine. Interdum sortitur appellationem *Domini*, suam Jurisdictionem ac præminentiam potestatis sustinentis, ita tamen, ut alterius subjiciatur Imperio, si cuti Ducatus & Comitatus &c; De quibus idem prænominitatus CONRINGIUS. Existimandum nobis puto *REMPUBLICA M* æquali, seu pari modo enuncia-
ri pol-

ri posse, pro qvavis civitate justo legum
 vigore conglutinata, pro qvovis etiam
 Regiminis statu, quamvis Imperium, Re-
 gnum & Dominium inter se differant,
 gradu saltem, non verò *realiter, specie,*
 non verò *genere, strictè, non latè;* Nam
 apud æqviiores Politicos, præsertim au-
 tem eos, quorum prolixam protuli seri-
 em, ad eundem titulum referuntur,
 quasi pari passu ambularent, quod ferè
 saniore mente accipiendum *politice*, non
 autem *Ecclesiastice*, primo intuitu autu-
 mo. Nonnulli qvidem distinctionem
 attulerunt inter limites maiores & mi-
 nores, quæ tamen pro uno eodemque
 habet BOSIUS. Ast unicuique in u-
 tramqve partem liberam sentiendi fa-
 cultatem concedo. Verum enim
 verò a magno illo STAGIRITA, *Vita*
civitatis, à SOCRATE *civitatis ani-
 ma, virtus civitatis*, a SPEUSIPPO in
 definitione Platonica, à LIEBENTHAL
 verò ordo, à CONRINGIO *anima,*
*Ratio, forma, qvafsi vocatur RESPUL-
 BLICA*, societatum vinculum, familia-
 rum copula, concordiæ ministra, le-
 gum custos, securitatis portus, virtu-
 tum nutrix, vitiorum vindex, litera-

rum & artium genitrix atque origo,
verum libertatis defensor, ac salutis o-
mnium mortalium, ut multa paucis in-
cludam, optimum & cœleste Regimen.
Ne justo tardior in talibus essem, mul-
tum operis hisce enumerandis impen-
dere haud a re putavi; Itaq; brevibus
& sanè qvam brevissimè memet expe-
divi; Unde jam non vires ingenij ostē-
tandi gratia, sed saltem obiter, *sincere* &
dilucide, ad ipsius rei viscera perscrutan-
da contendam.

Art. V.

Definitioni nominali τὸν περιγματόνος. Defini-
tiār, seu realem, ex legibus Scholæ tio
subjiciam. Missis itaque illis tanquam Reipu-
lerioribus, interim tamen ad rei co-
gnitionem plurimum facientibus, nobis
in primis nunc curæ cordique erit, scire
REIPUBLICÆ definitionem, in qua con-
cinnandâ tot ferē sententiarum dissen-
tientium occurruunt agmina, quot un-
quam capita reperta sunt, quæ in ejus
consideratione animi conamine diligen-
ter desudarunt. Placuit aliis, utpote
THOMÆ & LAMBERTO REMPU-

BLICAM per *Ordinationem*, velut accu-
ratum ejus conceptum convenientiæ
circumscribere. Aliis autem per *Multitudinem*, in quorum numero est **BODI-
NUS**; Quidam *Cætum* loco generis po-
nunt, haud infirmis rationum nitentes
fulcimentis, quibus quoque favet **KEC-
KERM ANNUS**; quæ quoque assertio-
nes nec absurditati litant, quatenus ille
sc: *cætus REIPUBLICÆ*, & civitati ma-
teria esse innexa subintelligitur: atta-
men *REIPUBLICÆ* genus esse nequi-
unt, quatenus *RE SPUBLICA* for-
mam civitatis denotat. Et Genus nun-
quam petitur ab ipsa ejus essentia nec à
forma, quam *RESPUBLICA* multitu-
dini in unum congregatae bené viven-
di causa, superaddit. Nonnulli defini-
unt eam per *Gubernationem*, inter quos
BOSIUS; Quidquid sit, illud adæqua-
tum Genus neutiquam mihi videtur.
Ceterùm plerique Politici, veluti **AR-
NISÆUS**, **CELLARIUS**, **JACOBUS
MARTINI**, **LIEBENTHAL**, & eandem
cum **ARISTOTELE** fovent sententi-
am, & illam per *Ordinem* definiunt,
quod etiam rectæ rationi censetur con-
sentaneum. Hanc ob causam singulis
corda-

cordatis, talem nulla obscuritatis caligine obfuscata, offero descriptio-
nem:

RESPUBLICA est ordo
civitatis, seu potius admini-
stratio civium, sub summa
potestate in civitate mutuo
rerum, operum & Jurium
causa instituta.

Desinit

Genus hujus est **ADMINISTRATIO**,
nō *privata*, quæ solum unicuiq; homini
in Societate degenti, suarumque rerum
curam agenti, neglectis ceteris, com-
petit; Sed *Publica*, respiciens singulo-
rum utilitatem, salutem, tam directio-
nem summam habentium, quam sub-
ditorum, vel uno verbo, omnium, in
civitate vitam colentium, incolumem
ac tranquillam. *Administratio* ipsa con-
sistit in ordine imperantium & obedi-
entium, qui nihil aliud est, quam *for-
ma*, quæ vicissim est *modus*, quo sum-
ma rerum vel uni, vel pluribus, seu
singulis committitur, atque **REIPUBLI-**

CÆ inhæret, tanquam subjecto, prout SCIPIO AMIRATUS in dissertationibus suis Politicis observavit.

Differentia specifica desumitur, petiturque ab objecto, quod sunt CIVES, non brutorum, sed hominum, (ut narrat WENDELINUS) in una civitate viventium, non verò aliorum extra limites ac terminos, in aliis oris & regionibus dominium habentium. Nam quisque in sua jurisdictione, suis agnoscitur legibus, moribus, & vitæ generibus: Atque hinc resultat, quod alterius alicujus civitatis membrum esse raro deprehendatur quispam, dum vitam & corpus cum bonis suis uni duntaxat mancipaverit.

SUB SUMMA, intelligendum est, quod omni alio majus, seu qui hominibus ceteris superior est, nullam agnoscens eminentiorem præter divinam solam essentiam, cum vicibus Dei, hisce in terrarum habitaculis fungatur, prorsus in suo gradu supremis (de summa summitate audituri erimus Bono cum DEO, cum ad fontem REIPUBLICÆ per ventum fuerit.) Nam ut *Ordo* in civitate, observetur, necesse est, aliquem esse

esse *summum*, à quo cetera omnia de-
pendeant. Qvò autem luce meridia-
nâ clarius res illucescat, intrepidè ad-
firmare audeo in Civitate, si modò
perfectæ Civitatis nomen velit tueri,
necessariò *summum* aliquod caput emi-
nere debere, à sinistris hominum ju-
diciis, tum & arbitrio vacans, nulliusq;
coactioni obnoxium. Et qvia nihil ad-
miratione dignius, nihil cultu venera-
tionis sanctius, Majestate augustius, ac
eminentius in caducis hisce existit, ac re-
peritur rebus; ergò contra illud in sub-
limitatis throno positum, habitu rega-
li indutum, insurgere ac moliri aliquid,
nemo, nisi audaciae œstro percitus au-
debit; nisiq; talis omnis honestatis podo-
rem abnuere ac seponere dejectis & Dei,
& naturæ præceptis velit. De ceterò
harum scientiam rerum qvi cupit hau-
rire uberiorem, adeat iurium naturalium
Scriptores, qvorum primus post ARI-
STOTELEM & TULLIUM nodum
Gordianum fregit, solvitqve HUGO
GROTIUS, Belgarum illud Decus & Lu-
men; Quem longa serie comitantur
alii viri longè doctissimi.

POTESTATE i. e. eminentiâ, Maje-
state, Dignitate &c. à DEo T. O. M.
cuidam, vel pluribus concessa, ut Im-
perium in ceteros habeat, quod *media-
sté* per populum, fatente Nob. Dn. PU-
FENDORFIO, defertur, in personam
ab ipso electione huic rei destinatam.

Aliter à *SUMMA POTESTATE*, i. e.
penes quosest summa potestas, vel pe-
nes unum, vel penes multos, sive uni-
versos: Et semper civitati hæc coæva,
& naturalis est, ut anima corpori, ad
constitutionem hominis.

In *CIVITATE*, scilicet in qyolibet Im-
perio, Regno, Dominatu, Principatu,
qvorum antea mentionem fecimus.

Finis igitur ejusdem est, *MUTUO RE-
RUM, OPERUM, & JURIUM CAUSA
INSTITUTIO*, ab altissimo ordinata: ut
unus alteri, seu communi urbanæ so-
cietatis utilitati, quæ in *REPUBLICA*
est quærenda, adjutorio, auxilio so-
latio, atque delectamento sit, præler-
tim beatitudinis, omniumque rerum
ad scopum saluberrimum dirigendi gra-
tia, introducta *RESPUBLICA*. Deni-
que via & aditus majora desiderantibus
semper aperta persistit apud Præcepto-
res

res tam mutos, quam ore docentes,
qvò etiam eos remitto, qvibus hujus
cognitionis ulterior & exactior arridet
informatio.

Art: VI.

Sed in antecessum notandus est, pri- Divisione
usquam ad Divisionem properem, Reipu-
scopus, seu Finis civitatis, ARISTOTELI blicæ.
πόλεως dictus, ad qvē omnes secundū actio-
nes leges in *REPUBLICA* diriguntur,
attendendo ad *REIPUBLICÆ*, πρώτως,
& primariò salutem, dein δευτέρως & se-
cundariò dominantium, qvi esse possūt,
seu unus, seu plures, vel omnes; Unde
quoq; diversitas *RERUM PUBLICARUM*, prout formæ istarum aliam, atq;
aliam sortiuntur indolem, emanat atq;
ebullit. Ut scilicet suprema Dignitas
ac jura Majestatis, aut *indivisim* tractā-
tur, vel à pluribus, vel deniq; à majore
civitatis parte.

Quò autem manifestius hæc omnium
in conspectum ponantur, prolixiores hic
non nihil ducam lineas, id tantum de-
pingens, ut dum unus ad fastigii regalis
evehatur gloriam, absolutumque impe-

rium in sibi subjectos obtinet; tunc ille
 nomine condecoratur *Monarchæ*, & Re-
 gnum ipsius *Monarchie*, à *μονάρχῃ*, *solus*, &
αρχὴν, *imperium*; quasi *solitarium impe-
 riū*; De hocce, Oraculum *SOLONI*
 redditum fuit: ἔνδαιμον μελίτης εὐ-
 κήρυξ αὔξεν i. e. Urbecula est felix,
 quæ præconem audit unum. Sunt non-
 nulli in eā delicate opinionē, quasi ejus-
 modi *solus* sit, qui *imperium* admini-
 strans, intentione *primariā*, rerum su-
 arum curam gerat, *secundariā* verò, sub-
 ditorum, ac singulorum tranquillitatem
 procuret, instar Domini sui servi, quod
 & iisdem ferè verbis pronunciatum it
 MARINIUS, nobili genere in *POLO-
 NIA* natus. Sed ego religione veritatis
 doctus, existimo hunc cum aliis pleris-
 que à Regiā propeniodum viā aberra-
 re, principatum *κυβελῶς*, & proprie talem
 cum Dominatione, cuius usus tum ob-
 genium populi, tum situationem loci,
 tum climatis naturam, in *TURCIA*
 atque *MOSCOVIA*, viget, proterve
 commiscendo. Aliud vero obtinet in
 Reginime moderato, ubi sceptris im-
 perii fulgens, prospicit suo ante omnia
 gregi, à Potentissimo sibi concredito,

non tamen proorsus posthabitâ ratione
 suæ prosperitatis & valetudinis, qua
 ipsi etiam quam maximè curæ cordique
 sit; cum in capitis salute membrorum
 omnium reqviescat felicitas. Interim
 tamen perpetuò in mentem sibi revo-
 cabit Imperator, quod quoqve singulis
 coronatorum animo infixum esse deber,
 Regimen videlicet eorum omne, ~~obediens~~
~~zium ob causâ, esse in vectū.~~ Regna enim
 singula ad utilitatem parentium, non
 imperantium facta, inquit FERNELIUS
 VASQVIUS. Sed optima **RESPUBLI-**
CA me retur dici, ubi circa utriusqve,
 tam *Regis*, qvam *subditorum*, utilitatem
 ac securitatem omnis movetur lapis,
 fitqve potissimum tunc, cum is, qui
 ad clavum sedet, pietate & Justitiâ ful-
 get, dum *Civitas*, & obsecundantium
 & optimorum civium frequentia orna-
 ta coruscat, splendet opulentia potens,
 legibus exulta, disciplina militari in-
 victa, imperii magnitudine augusta,
 rerum præclarè gestarum famâ clarissi-
 ma celeberrimaqve. Sanè communis
 omnium gentium, scriptorum, & se-
 culorum sonat confessio, toto in orbe

nullibi reperiri aliquid, sive humanâ industria exquisitus elaboratum, sive perfectius absolutum, quam *Imperium*, cuius culmina tali nitent sole, qui ad eorum, quibus obseqvii est mandata gloria, salutem, ita est attentus, qvemadmodum ad navis, qvâ vehuntur peregrinationis periculo sese exponentes, seu committentes, protectionem atq; circumspetionem, gubernator. Qvod & XENOPHON innuit, dum in hæcce verba erumpit: *Reges* sunt, qui *RERUM PUBLICARUM* non Domini & Arbitri, sed *Tutores & Administrati*, seu potius tanquam *Parentes* filiorum suorum commodum summo procurant studio. Hujusmodi ἀμέσως & immediatē opponitur *Tyrannis*, quod vocabulum, infestissimum hisce temporibus, quamvis pristinis seculis in bona significatione usitatissimum fuit.

Excipit sermocinationem de Monarchiâ tractatio *Aristocratie*, quæ ratione etymi genus deducit à duabus voculis integris, videlicet *ægis*, optimus, & *xegi* *robur*, vis, potentia, imperium, atque sic ex illis distinctis coalescit sensus, tanquam diceres *Gubernationem*

opti-

Optimum; quæ nec suis defraudanda
venit encomiis, modò proceres illi, qui
præfunt ex amissi sint optimi, nec tam
ob immensam opum abundantiam, aut
divitiarum copiam famigeratissimi, quæ
ob virtutum & prudentiæ splendorem,
in oculis omnium spectabiles.

Denique nec illud sicco prætereundum pede, quod dum ferè omnes æqualiter *REMPUBLICAM* administrant, & quisque suarum partium studium tenet, ac operam præcipuè rei navat suam, neglectis ceteris intra idem societatis consortium existentibus, enascitur *Democrazia*, quæ vox itidem notatione Græca ex ἀὴν i. e. *populus*, & Κρετός *Regimen*, debet originem, habetque locum, ubi summa rerum penes instabile illud vulgus, indiscriminatim fluctuat. Atque ex hisce præcedentibus clarum est, *REIPUBLICÆ* varios esse fines. Quibus omnibus prolixa Politicorum volumina diffusius agunt, ad quæ omnes remissos volo, mihi vero brevitas studium est gratissimum.

Jam vero omnes, juxta doctorum præcepta, tres agnoscunt species, propriè dictas, nempe *Monarchiam*, *Aristocratiā*

tiam, *Democratiam*. In quarum pensatione aliquali, non nihil meam huc usque exercui crenam. Hic verò mitto, propter angustiam pagellarum, divisiones illarum varias, singulis Palladis cultoribus familiares. Ut sunt PUFFENDORFII, in *Regularem*, & *CELLARI*, in *simplicem*, quæ includit in se, tam *Regnum*, Tyrannidem, quam Aristocratiā, Oligarchiam, Politiam, Democratiam, & hæ vocantur ab ARISTOTELE vel *Rectæ*, i. e. utilitatem communem intendentēs, vel ad publicum bonum omnia referentes; vel *Corruptæ*, seu *prolapsæ*, quæ privatam felicitatem vel unius, vel plurium, vel omnium, & singulorum inspicientes, à publicâ salute in quovis genere deficiunt, quæ verò omnes formæ sub appellatione simplicium veniunt; Et in *Irregularēm*, vel *Compositam*, seu *Mixtam*, quæ inter se misceri possunt, non aliter, ac Elementa in unam massam coalescentia confusum constituunt corpus; Sed hujus *dōgmati* Patronos, quos ARNISÆUS enumerat, enumeratos etjam eorum errores refutat, alto supercilio spernimus. Cum nulla tam perfecta mixtio admittatur,

tatur, cuius aliqua pars, non denique reliquias exuperet, inque suam naturam transformet. De *REPUBLICÆ* igitur mixtura nunquam concedenda, per volvere licet, *FORSTNERI* notas ad *TACITUM*, tum & Mag: *JOHANNIS MUNSTERI*, arctæ vinculo amicitiæ mihi conjunctissimi, inauguralem dissertationem nuper editam, sub Titulo frontispicio præfixo, *de Ænigmate seculi sive Ratione status*; Ibi enim ille hanc Mixtæ *REPUBLICÆ* umbram, nil nisi monstrum Politicum esse apertè profitetur.

Per plurimorum judiciis hoc modo discussis, jubet propositi ratio, ut paucissimis ἐπικείσονι meam ac censuram super hasce aperiam res.

Est igitur (A) in *Genere*, *RESPUBLICA* alia *Universalis*, (a) ut *imperium*, & *Regnum* unicomerens; Illa iterū vel (N) *absoluta*, cum unus omnium absolutè singulis dominatur, non secundum libidinem, sepositis omnis juris naturalis monitis, ac humanitatis modestiæque legibus; Sed quorumcunve in naturali statu, & libertate, (quæ naturaliter omnibus hominibus coæva) ætatem degentium

gentium salutem promovet. In qualibet quidem civitate propriè dicta, existit tale imperium, saltem habitualiter & quoad actus specificationem, si non semper exercitio; vel (α) limitata ubi imperium summum alicui concessum specialioribus saltem legibus fundatum esse notatur: de ea re videatur Nob: PLIFENDORE. Alia particularis, (β) solum paucis conveniens, ac ad directionem Optimatum incolumitatem singulorum intendentem, sese imperans, velut supremus Dominatus. Alia popularis (γ) æquale omnium regimen describens, ubi populus quisque suis rebus operam quam maximè adhibet, & tunc insignitur denominatione Politiæ. (B) In specieverò, RESPUBLICA alia optima cit, ubi omnia diriguntur, bono ordine observato, ad salutem præcipue Civium; vel Vitiosa ubi nulla ratione habità aliorum, dum quisque suis velificat commodis. Quod etiam mecum fatetur ARNISÆUS.

Art: VII.

Prærogativa harum specierum. **P**Eractis jam partibus definitionis & Divisionis, consequens est harum specierum

specierum RERUM PUBLICARUM mentione in superiore factarum præminentiam indigitare. Qvanquam plurimi scientia rerum civilium periti hoc prætereundo judicium suspendant suum, putantes, optima quævis ingeniosis attemperata suis, reliqvis præferenda esse. Nihil tamen interest, quin altero existente imperio votis ac voluptatibus consentaneo, altero verò magis conducente, quod si non ijsdem vocabulis, tamen eodem sensu exprimit ARISTOTELES. Ego saltem sincero veritatis amore flagrans, non in *hypothesi* quicquam profero, facta excursione ad has vel illas nationes, earumque incolas, quorum indolem, mores, ac instituta excutere animi non gestit lubentia. Etsi una quæque terrarum gens pro natura soli, ac cœli, suæ soleat formæ jactare prærogativam, contendens id genus imperii charitati proximum, defensione que dignum esse debere, quod ibi loci floret, qui unumquemque genitumcepit, educatumque fovebat. In *Thes* proinde res tractanda, etsi & tunc quænam harum formarum potissimum præ ceteris præferenda, eligendaque sit,

etiam

etiam difficile determinatu, immo, haud proclive dictu.

§. I. Monarchia suos habet defensores, quos non ad semet allexit Ari-

Demo-stocratia, quin locum etiam inveniat
cratia, *Democratia*, quæ libertatis nomine a

quibusdam commendatur; Sed vix vere; nam dulcedine otii pellesti, ac sui juris compotes facti, præcipue immortatores populi, utique omnia turbant, unde nullo summis rerum præfecto Rectore, nullo administrationi civitatis certo adhibito capite, juxta libidinem, ac ad utilitatem quorundam & singulorum cuncta peraguntur; deinde discordiis, simultatibus, seditionibus civilibus lacescitur miserum in modum *Politia*.

Nihil stolidius plebe: Nihil inconsideratus cœtu vulgari: Quid insipientius multitudinis captu: Et vulgi opinione inconstantius: mandatis, consiliis, præceptis decernunt commodis publicis obfutura, profuturis iterum quam vehementissime resistunt, nulla ratione justitiae ducti, sed injustitiae locum relinquunt, portam iniqvitatis aperiunt, omnia venalia habent, ut satis copiose & eleganter de **CATILINA**,

narrando

narrando procedit SALUSTIUS, laudatissimus Romanorum Scriptor. Quid de REPUBLICA benè meritis in populari hocce statu dicam? Publica certè custodia, exilium, carceres, ac vincula eorum sunt præmia; Econtra verò honores, dignitatesq; flagitosos & facinorosos plerumque conseqvuntur. Tali modo MILTIADEM strenuissimum Patriæ propugnatorem diem in vinculis obire supremū; THEMISTOCLEM GRÆCIAE liberatorem in exilium; ac DEMOSTHENEM civem clarissimum exulis terere vitam coegit ATHENARUM turba, *indomita fera*; quo titulo, eadem, à LIPSIО in monitis ad *Politican*, honoratur. Consimilem infamiæ notam, orbis illa Sydera & fulmina belli, ac lumina virtutis, EPAMINONDAM & PELOPIDAM, insignes præliorum duces, passos à THEBANIS legimus. Ceteros militiæ domiqve claros non tangam, tantum hoc confiteri cogor, quod inter tales rerum status, vires invidiæ accrescant, qvam gloriæ eminentis assiduam esse sociam, dixit quondam CORNELIUS NEPOS elegantia & puritate facundus; Cujus

partibus favet eodem ore VELLEJUS
PATERCULUS, qvi non solum styllo
utitur arguto, sed etiam in exprimen-
do rerum sensu, accurato. Formam
Democraticam, si interiora mecum in-
tuearis, faciem præbere monstro simi-
lem, animadvertes. An hæcce jam li-
bertas? imo fucata. O igitur misera
conditio mortalium! O inexplebile
malum! atqve indigesta moles! & in-
conditum chaos!

Aristo-
cratia.

§. II. Sed nec desunt, qvi *Aristo-*
cratiam pomposis verborum phaleris ad
cœlum usque extollere conati sunt,
maxime verò ob faciliorem negotiorū
ac curarum expeditionem, cum unius
mentis habitus capax esse omnium
nequeat; Proinde censem, non ad u-
num cuncta libidine administrantem
sua, devolvi debere res, cum sociatis vi-
ribus plurium indefessisqve laboribus,
expeditius munia effectui dabunt sua
illustria, & heroica Ingenia rebus apta
règendi, prospiciendi; Hanc men-
tem astu & calliditate quadam TIBE-
RILUM aperuisse toti Senatui, quò ex-
piscaretur, quid de Persona sua sentiret,
testatur TACITUS. Et posito, quod
verita-

veritatis centro innitatur commune illud, omnium quod in ore circumfertur dicterium, videlicet, *plus videre oculos quam oculum*; Contrariam nihilominus init rationem PHÆDRUS dicendo: *Dominum* (puta rei suæ familiaris vigilansissimum) *Centum habere oculos*; Qvod & legentibus eundem statim occurrit. Dehinc licet Regis in fastigio summo constituti oculorum acies lynceis multorum non prævaleat luminibus, adeo ut plus visu percipere possit, quam omnes animadvertunt; Attamen, qvod ipse non per se sustinet, id per ministros, derivando in eos partē curarum dexteritate singulari regaliter expedit. Qvare semper Regum ad latera junguntur Prudentes, Sapientes, qvibus interdum destituitur *Aristocratica* Potestas, dum Optimates sæpè in id incumbunt; qvibus auxiliis queant, jam paupertinâ eruditione illustres, jam experientia rerum optima Magistra vel nihil vel parum imbutos, aut sangvine sibi junctos, ad clavum Imperii evehere, dignos vero officiis Senatoriis loco amoris (qyem ipsis debent) odio prosequuntur, aut susq; deqve habent, dū-

modò gloriam omnium operum qualitercunq; etiam peractorum, à cunctis adipiscantur. Qvis qvoq; nescit Multitudinis inconstantes inclinationes; præterquam quod alii admodum fastuosis, elatis, tumidisque pectoribus incedunt, haud in mentem sibi revocantes mortiferam illam superbiæ pestem, illos, quorum animos inquinavit, penitus ad ruinamducere. Quibusdam nimia gloriæ cupido, ad palmam deportandam & eripendam aliis, fallendi animo succrescit, hi eo tantum collimant, ut reliquis se anteponere valeant; Ex qua re dissensiones animorum, discordia, odia, tandem homicidia inter eos oriuntur ac nascuntur, dum lacertos unus contra alterum per insidias movet, nequitiarum laqueos excogitat, quibus tandem perniciem ac necem proximo suo struit, acceleratque: Nonnulli avaritiâ delectantur, ut exemplo nobis M. CRASSUS, C. J. CÆSAR, Cn. POMPEIUS, pervertentes omnia Jura tam *Divina*, naturalia sive moralia, quam *civilia*, propter inexhaustam cupiditatem potiundi auro argentoque, tum aliarum rerum copiâ.

sub quodam tempore pluviosum Hoc
 opus

Hoc pacto, ejusmodi hominum genus,
pecuniis deditum, avarum, improbum,
imò instar latronum, Tyrannicūm eva-
dit; Hisce altius pensitatis, A N A XI-
M A N D E R defensor administrationis
perplurimorum, debellatis in primis
NICOPOMPI rationibus, apud BAR-
CLAIUM in ARGENIDE, rem com-
munitati destinatam ab uno melius
aptiusque geri posse assentitur.

§. III. Quidquid sit, nihil inter ho-
mines sanctius, nihilque inter cives be-
atus, nec justius, unquam Monarchia, viribus
omni dissidio, invidiā, raptu, æmula- defēdere
tione vacuā, nullamque admittente nitetur.
occasionem injuriæ, avaritiæ, ambitus
& ambitionis, temeritatis, superbiæ,
nisi ubi Imperans in Tyrannum dege-
nerat; Quod DEus in REBUS PUBLICIS
benè constitutis avertat! Hoc æquissi-
mum Regiminis genus, per antiquissi-
ma Secula viguisse ac floruisse diutur-
nius populari ac Optimatum statu, &
per multos annos prosperè & felicitè
propagatum esse, infinita Regnorum &
Imperiorum testimonia docent, adeo ut,
in Monarchiam naturali quasi impetu,
ac cursu ceteræ pleraque transisse vi-

Monar-
chiæ, quā
summis

deantur Politiae. Hinc laudibus dignus
est PLATO, dum Regalem suminam
Majestatem non reliquis cedere, neque
eas sibi pares agnoscere defensum it.
Si voluerimus in prisorum seculorum
annales nosmetipos ingerere, eandem
quoque in principio & in fine Caput
totius Orbis ROMAM adorasse, haud
difficulter deprehendimus, et si interje-
ctis quibusdam temporibus varias passa-
sit mutationes, quibus tamen necessitas
consulto imposuit, ut unius nutu re-
geretur vastum illud imperionus, cui
propterea semet subjecit, sicut apud
TACITUM memoriae proditum esse,
percepimus. Eadem etiam acquievisse,
ad syuos consuetudine introducta ASI-
ATICOS asserit CURTIUS, siquidem a
tali administratione salutem REIPU-
BLICÆ expeditias & certius procurari
posse animadvertebant. Nec est, quod
quisquam nobis objiciat, unius capitis
fragilitatem & impotentiam, humanâ
laborantis imbecillitate, & quod in hoc
ce statu rerum in errorum ac vitiorum
devia facilis sit via; Cum æternus ille
Fatorum Rector mediis quibusdam e-
undem præ ceteris prospexit, tanquam
eum

eum, qui quām maximē ad sui accedit
 regiminis imaginem. Consistit autem
 in eo *Monarchicæ* potentiaē vigor, ut sta-
 tuto loco & tempore, is habens im-
 perii, qui moderatur, necessitudinis te-
 lo urgente, de rebus sine provocatione
 ulteriori possit decernere, ac ferre sen-
 tentiam, quam a nullius arbitrio irri-
 tam fieri, ac impediri, omnibus constat.
 Ipsum Regimen, si in considerationē ve-
 nerit, utiq; illud esse merē naturale pa-
 tebit, quippe *Regimen* a Rege, *Rex* ite-
 rum a regendo, vox ipsa, naturæ con-
 sentiens esse dictitat. Utut imperium
 in se sit consonum legibus naturæ, at-
 que decretis: Quod tamen hoc vel illo
 modo administretur, id verē liberae di-
 spositioni humanæ adscribendum. Sed
 ne hisce diutius immorer, rem contra-
 ham adserendo, *Monarchiam* tum ob-
 dignitatem, tum authoritatem, pluri-
 mum participare de ipsius naturæ in-
 dole, ejusque Auctoris: gradu tamen
 unam formam alterā esse eminentio-
 rem liquet. Quod & dixisse sufficiat,
 ne oleum & operam perditur me,
 quasi dubium, de *Monarchiæ* præferen-
 tiā nimis laborantem, quis credat.

Art: VIII.

Respubli-
ca, quod
sit à DEO,
ostende-
tur.

O Peræ dehinc pretium me facturum aurum, si primum, antequam mente & manu ceteras res sectar, diligentि inquisitione ipsum fontem REIPUBLICÆ perscruter, quamvis nounullorum perversa ingenia mihi svadere videantur, quasi meum nunc non esset, plenioris & uberioris cognitionis secreta, ad illam evincendam rimari. Sed quia sub deliberationem maximè jam se hæc res obtulerit, libet lubetque saltē quædam ex limpidissimo dilucidissimoque pateo adferre argumenta, meos conatus illustrantia, tum & captui singulorum, sensibusque communibus accommodanda.

Non igitur *REMPUBLICAM* à violentiâ quadam, nec ab hominum institutis, primariâ, (cujus indolem accuratius in posterū explicare forsitanabitur occasio) sed à torius hujus universi Plasta, illiusque causa principali, civilis beatitudinis gratiâ, productam esse censemus; Nec quisquam sit, qui aliud vel dictamine conscientiæ gerit, aut ore profiteretur. Unicuique sanè notum est, cuncta à Summo & Omnipotentissimo Creatore

atore esse creata , quorum omnium in
commodum Mortalium , quæ vergunt,
non ultimo in loco ponendum , unde
felicitas resultat publica , utpote ordi-
nata REIPUBLICÆ constitutio. Ad hanc
proinde dilucidè confirmandam & ma-
nifestandam firmis rationum utamur
arietibus.

Mom.I. In basin meæ sententiæ, peten- à lumine
da quædam nobis sunt à lumine revela- gratiæ.
to ; Qvod sic perseQUI conabor. Pro-
ductione animalium factâ, luce sextæ
diei, rerum ut omnium, ex quibus na-
tura constat, opifex, ita quoque boni
ordinis & rationis auctor sapientissimus,
ADAMO Imperium summum tradidit.
Ad hæc universa in cœlesti expanso , &
in terreno globo , visibilia tum invisi-
bilia, velut maiestates, seu dominatio-
nes, seu principatus, imò, etiam o-
mnium potestates protulit hominibus,
ille per quem , in quo, ex quo, cuncta
constant, sicut testimonium perhibet
PAULLUS, mysteriorum divinorum in-
terpres, ad COLOSSENSES. Idem ille
fatetur ad ROMANOS, quibus suum
dicavit studium, informando, supremam
in REBUS PUBLICIS occupanti sedem

à supremo Nūmine eam concessam es-
 se authoritatē, ut cuncta ei subjici-
 antur, quique illi resistit, contra Po-
 tentissimi Statoris instructionem atq[ue]
 ordinationem insurgit, quod conamen
 in perniciem ejusmodi intentantis cer-
 tissimè cedit. Illud egregiè in men-
 tem sibi revocavit piissimus Rex DAVID,
 ne unctum caput SAULIS, manu ap-
 prehensum suā, sibi licet infestissimum,
 tangeret, nec male afficeret, cum pos-
 set. Eundem in sensum apud EVAN-
 GELISTAM JOHANNEM alloquitur
 Salvator mundi PILATUM, suam emi-
 nentiæ dignitatē extol-
 lentem, dicendo: *Hoc si tibi ab al-
 tissimo datum non esset, nullum super
 me habuisses imperium.* Harmonicam
 cum hisce habet congruentiam dictum
 SAMUELIS, quod Dominus determina-
 bit terminos terræ, & Regnum sibi a-
 mantissimo adsignabit; & per hunc
 regnantes, legum vigore justa decer-
 nunt, principes cuncta obtinent suā
 dominatione; potentibus, gloria, opes
 & divitiæ tribuuntur. Utitur pariter
 consimili verborum enunciatione SA-
 LOMON, omnium Regum Sapientissi-
 mus

mus, ditissimusque in proverbiis suis.
 Magistratus igitur omnium eminentissimus, gubernacula Regni invadentem
 deturbare, imò è fastigio suo dejicere
 valet; eadem mente vaticinum suum
 omnibus cognitum esse voluit DANIEL,
 rerum experientiâ, fide, prudentiâ in-
 clytus Vates: huic consentit SCRIPTOR
 SAPIENTIÆ, egregia facundia, verba
 qui melliflua projecit, Reges docendo,
 quod justitiam, pietatem, veramque
 religionem sibimet, populisque suis
 servare debeant, quare & iis fasces im-
 perii, & virtus à potentissimo proveni-
 ens, demandatæ sunt.

Mom: II. Verum præterea evadit, nullā à lumine
 Regiminis formam esse, nisi à DEO, à quo omnia cetera existunt ac durant,
 ex ulteriori pervolutione sacrarum pa-
 ginarum, unde ab ipso Numine con-
 stitutos esse Reges, & iis iterum attri-
 butum imperium, liqvet. Adferenda
 igitur mihi, ad hujus notitiæ explora-
 tionem roborandam, qvædam exem-
 pla, inter quæ primum adsignabo lo-
 cum allocutioni a Domino factæ ad po-
 pulum ISRAELITICUM, dum iis seriò
 præcepit ingressuris terram promissam,

sacræ Hi-
storiæ.

animo

animo ibidem sedem suam figendi ; ut
 cum in mentem ipsis veniret, juxta
 consuetudinem gentium circumjacen-
 tium, Rege potundi cupiditas, ne tunc
 secundum lubitum ac applausum suum,
 sed illum , a summa Majestate divina
 electum ac ordinatum, in Imperatorem
 sibi eligerent ; eique salutem concedet,
 leges & jura præscribet, pro ut refert
PSALMOGRAPHUS. Qvod factum
 in monte SINAI, ubi splendida ac ma-
 gifica sua præsentia, MOSI Decalo-
 gum, tanquam vitæ normam ac cyno-
 suram tradidit , juxta qvem , tam in
REPUBLICA, qvam in communi cohabi-
 tationis societate, omnes actiones com-
 ponentur. Huic ISRAELITARUM
 à crudelitate PHARAONIS, affiduita-
 teqve laborum & servitute vindici,
 post obitum successit JOSUA, Ducis
 nomine clarus. Quem comitati sunt
 Judices, his proximi fuere Reges, quo-
 rum primus ad plebis vota & desideria
 iussu Domini à SAMUELE SAUL cœ-
 tum gregis custodiens, ac amissas as-
 nas inquirens, super hæreditatem Do-
 mini, in principem electus est. DA-
 VIDEM verò, quis nescit, ab agris,
oves

oves pascentem, adductum, super ISRAEL, antecessore à throno majestatis dejecto, ab eodem propheta, deinde SALOMONEM instinctu Dei, super totam JUDÆAM à SADOC Sacerdote, & NATHAN Prophetâ, in regalem eminentiam enectos atque unclos fuisse, donec tandem finitis Regibus, exsurgebant Pontifices, continuato qvoqve ordine abundanter testantes **REMPUBLICAM**, ejusque administrandi modos, à DEO tanquam à fonte, manasse ac effluxisse : Ille namqve solis rotatione orbis regit, mundum sole eluminat; de quibus locupletiorem, qui sitit informationem, stant ipsi apertæ venerabiles Sacrarum Pandectarum fores. Consulte qvoqve ea, qvæ CAUSINUS & CUNÆUS de HEBRÆORUM **REPUBLICA**, variis vicissitudinibus obnoxia, annotarunt.

Mom. 3. Venit quoqve insuper ab ipso lumine à natura eruendus omnium **RERUMUBLICARUM** à cœlesti bonitate ac favore scatens ortus; Postquam jam prioribus in propositionibus quoad majorem partem, ex S. Literarum Oraculis easdem gratas ipsi, discussâ omni dubitationis nebu-

nebula, & ab illo mandatas, imò, amorem earum ineundarum hominum mentibus infixum fuisse, jucunditatis utilitatisqve ergo, non prolixis verborum ambagibus, sed simpliciter evicimus. Supereft nunc, ut innatæ cognitionis nostræ judicio, paulò altius rem ex principiis primis, seu evidentissimis juris naturalis præceptis eruamus. Ut ut **RESPUBLICA** in potestate sita sit, illa iterum in Majestate, Majestas in summa imperii dignitate; quibus inesse aliquid Divinitatis, seu divinæ similitudinis, verùm quæ, quasi ipsius imaginis species ex effectu cœlesti, ac impressionis divinitatis caractere facile colligitur; Huic eminentiæ radiorum splendor pariter obvenire solet, tuendo efficaciam virtutibus conformem, quam ab omnibus conspi ci vult ex intimis rerum progressa virtus, ut Lumen à Lumine; Vis rursus ejus ita à Majestate egreditur summa, ut nihilominus in sinu ipsius, in pectore, ac visceribus, suo fonte manere perhibetur. Quanta Commercii sublimium nobilitas, tanta humilium connexionis propinquitas est.

His, aliisq; rationibus ducti ETHNICI extra pomœria Christianismi errantes, suos in supremo altitudinis fastigio positos Reges, summâ mentis animique devotione, magnificis titulis, tanta persona dignis, sacro DEorum numero post fata inserebant; Viventes vicissim instar JOVIS colebant; Prout ejusmodi relationibus, plena sunt omnium temporum, quæ uspiam terrarum, literis consignata sunt, monumenta. Hæc Ægyptios in consuetudinem abiit penes ASIAM incolentes; Sicuti TURCAE, divino cultu suorum Imperantium coronas adorant. PERSÆ omnis gloriæ generibus, tam gestibus, quam honorificis elogiis, imò, affectu quasi religioso, suos proseqvuntur Rectores; quos denique & MUSCOVITÆ, summô perpetuò honore mactatos, singulari reverentiâ suspiciunt. Qui venerantis mos, apud EUROPÆOS, ita quoque invaluit, ut is, non nisi cum morte extinguiatur. Hæc divina res, conjuncta cum veneratione, quæ vicissim non mediocrem sui admirabilitatem parit, clarissimè demonstrat tantæ ordinationis principium, circa quod cuncta

cuncta volvuntur, non esse inferius
 quid creatis aliis, sed à primo, illa o-
 mnia lustrante ac dirigēte lumine, à quo
 orbis machinam esse conditam, ex ra-
 tione haud obscurè liquet; adeò ut
 singula isthæc ante tenerrimum mem-
 brum visus posita, non ex semetipsis,
 sed ex altissimi cœlestis cacuminis apice
 elapsa, constent; Dum summam sui
 agnoscant causam, cuius imperium, tā in
 rationalia & sensu prædita, quām iuani-
 mata, sumnum, ordine quadam ele-
 gantissimo & admirabili, latissimè sese
 diffundit. In illa verò omnium causa &
 origine, nulla argui potest imperfectio,
 quoniam eminentissimis perfectionis
 ac omnipotentiæ dotibus independen-
 ter est munita. Undè ad designandam
 tantam sublimitatem, quidam Philoso-
 phorum maximis utuntur verborum an-
 fractibus; nempe *Anima mundi*, *Jupi-
 ter summus &c.* A quibuslibet morta-
 lium iterum, cum quadam significatio-
 nis expressione *DEUS* reverè appellatur.
 Hanc ob causam timore ingenti
 percutiuntur sinceri subditi, cum ali-
 quid mali summitati suæ intendere, &
 illud effectui dare aliquem sentiunt, re-

um statim talem existimantes crimi-
nis læsæ majestatis, (qvod committi-
tur, vel *verbo*, vel *facto*, seu *scripto*,
de qvibus consulenda sunt jura civilia,
tam patria, qvam exotica) legisqe divi-
næ & humanæ, qvi etsi ad tempus mun-
danam pœnam effugere queat, tamen
superiorem aliquando experietur judicē.
Nam impunitatem meritorum facino-
rosorum terrenam excipit conscientia
dira, accusatoris partes agens, qvæ o-
mnia judicium universale extremum
terminabit. Penicillo tantum rudi sub-
missam subditorum humilitatem adum-
bravi, occasione affulgente, nunc ex-
currendum nobis est consimili modo
ad lustrandam regalium sceptrorum glo-
riam, aut absolutam, seu, qvam vul-
go dici amant, moderatam.

Oritur igitur qvæstio : An Impera-
tori, tametsi omnibus legibus, non
vero divinis, naturalibus, seu moralibus,
nec fundamentalibus, sed civilibus
solummodo, qvoad omnes actus
soluto, sit timendum ? Omnipotè adstru-
endum est, ei ut ceteris animantibus in-
esse stimulum, ob malam rei sibi con-
creditæ administrationem, quippe intra-

pectoris thalamos latitantes cruciatus,
 & angores ex malefactorum conscienciam
 enati, illum æqvè ac alios mortales
 coram venerabili ac æterno numine in
 cœlestibus tabernaculis sedente, cuncta
 que iuspiciente, quæ ab ipso geruntur,
 sive in bonum aut malum finem, si-
 stunt, eumque rationem peractæ olim
 vitæ reddere cogunt. **Quidquid sit,**
 amplissimam & subtilissimam materiam
 pro sua amplitudine expolire, facili ac
 exiguo calamo mîhi nec lubet, nec li-
 cet, dum major est, quam hujus scri-
 ptionis modus eam capiat.

Consentient tamen omnium genti-
 um historiæ, consentit omnis ævi me-
 moria, & una mecum consentiunt cor-
 datores homines, sanctum manere
 nomen **REIPUBLICÆ**, à latronum ac
 piratarum cœtibus, nullâ juriū, socie-
 tatum, nec contractuum fide servata,
 sed penes eos, omnium rerum summae
 confusionis & distractionis impetu fœ-
 dis distinctum; sed sanctior Rex, cuius
 humeris, potestati luæ subjectorum cu-
 ra & solicitude ritè animo concepta, in-
 jecta videntur. **Quis est, qui, cum no-**
men ipsius hauserit auribus, non con-
festim

festim lāto hoc degustat ore , ac eidem extemplò debita submissionis promittit. Sanctissimum reverè illud, a quo & nomen & omen in terrenis regionibus orta sunt, quod omnes ante omnia, omni interno & externo cultu, semper amplectentur , adorabunt & venerabuntur.

Ms. 4. Hisce à me prolatis , addenda à lumine sunt quædam virorum excellentium in variorum geniorum , & experientiâ & fide con Auctořū, spicuorum scripta , inter quorum numerum primus nominandus nobis est SCIPIO AMIRATUS , qui hujus universitatis unum tantum Autorem ; PLATO verò Parentem, HOMERUS Patrem Deorum hominumque, appellant ; Eundem tanquam primum REIPUBLICÆ fundatorem meritissimum æstimat GEL STRUPIUS ; Deum dare summum rerum judicium principibus profitetur TACITUS , quem favore prosequitur BOECLERUS dicendo ; Ipsum Regibus regna concedere, & regnandi auctoritatem ; Ipsum proximum à suo fastigio gradum imperatoribus assignare ; Ipsum DEos vocare ; Ipsum gentibus obsequio & honore ad condecorare.

decorandum demandare; Ipsum peculiari illos sanctitate cingere, ne violentur; Imò, ipsum propriori suæ providentiæ curâ præstare, ne, quotiens pericula imminent, infelicia patientur fata. Huic accedit variis in locis PASCALIUS, inquiens, frontem Jovis regem admonere, ipsum esse in terris, id quod Jupiter in cœlo est; Ibidem: *Regnum est negotium DEo simile.* Alibi apud eundem, Rex est visibile quoddam præsens ac salutare Numen, ceteris majus, sublimius, fortius, atque adeò sanctius & augustius; Verum secundum tritum veterum, ut mens divina Mundi, *sic Rex est anima Regni.* Quo ipso ostendere vult PUFENDORF, civitates & summum imperium, à DEo tanquam legis naturalis autore, profecta. Huic nec disimilis est BOSII, primam Originem imperiorum, Regnum, *RERUM-PUBLICARUM*, à mandati, iussionisque divinae vi, ejusque ordinationis, ac legis naturalis efficacia accessentis, sententia. At ille non eisdem verbis, tamen eodem sensu aliâ in pagina exprimit; Imperia cuncta antiquissima fuisse, illaque institutione Divinâ ordinata, concessa,

approbata, præcepta, permissa, & in in-
columitatem totius humani generis e-
lecta, constitutaque. Idem ante illum
JUSTINUS protulit : Dum initio re-
rum, ortu gentium, nationumque in-
crementis, statim summa potestas Re-
gis erat, quam ad culmen hujus fasti-
gii non ambitio vulgaris, & æmulatio
popularis, sed curæ cordique habita in-
ter bonos modestia evehebat, erige-
batque. Hæ priores citationes referri
merentur ad populum **ISRAELITI-**
CUM, ex quibus dilucidè appareat, *Theo-*
craticum fuisse statum, cui veluti sum-
mus Magistratus ipse DEus præfuit.
Nam quod **JUSTINUS**, facit mentio-
nem bonorum hominum, à DEO ve-
rissimè, qui fons & origo est omnis bo-
ni, ortum reperisse, per virtutem, vir-
tuoso homini conjunctam, infusam, ac-
quisitam, eique datum ab ipso imperium
in ceteros certum est. Fidem huic ad-
hiberi veram & indubitatam posse, ex-
tra controversiam est. Mihi etiam su-
um dare consensum conatur **CAUSSI-**
NUS, dum pronunciat, instar solis in-
firmamento lucentis, Regem esse suā
in purpurā coruscantem, quo terrori sit

improbis, bonis præsidio. Addimus ultimò OSIANDRUM in quibusdam locis, satis copiosè hanc rem, ac feliciter explicantem. Ex hisce omnibus colligimus DEo originem imperiorum deberi, quam vel esse *mediatam*, eo sensu existimant Doctiores, quod in tantorum moliminum effectione utatur gentibus, velut mediis, à quibus & dein vicissim ad alias transfert summam dominandi licentiam; vel *immediatam*, quomodo illa devoluta fuit in MOSIS, JOSUÆ, ceterorumque humeros. Igitur Divinitatem Regum, in dignitate muneris, præcellentia virtutis, vigore gubernationis, consistentem agnoscimus profluere à DEo, tanquam Regiæ Majestatis Auctore & Archetypo; cuius omnipotentiâ, omniscientiâ, atq; omnipræsentîâ cuncta diriguntur, & providentiâ, consilio, nutu, cuncta peraguntur. Huic igitur Altitudini subiectiō nem ut promittant suam, memoriam istius rei semper colent imperatores, sequē formam regni sui primam, instar ceterarum rerum exorientium in DEo ac à DEo habere, necessariò confitebuntur; siquid unquam felicitatis & successus

cessus sibi ab eo donari velint. Hæcce arcana, pro ratione tam temporis, quam instituti, hactenus patefeci : pleniora ac tertiiora, à diffusioribus scriptoribus peti possunt. Noster ad alia igitur, festinatione quadam, transire animus est.

Art: IX.

Expositis iis, quæ spectant causam efficientem; nunc de causa instru-
mentali, & ipsa quoque particulari, no-
bis agendum restat. **Enim** verò naturæ con-
ram Reipublicæ tentabo clare & e-
videnter exponere. Idque (α) à ve-
stigiis naturæ naturantis, directionem
rerum à se creatarum obtinentis, incli-
nationemque ad civilem societatem ho-
minum naturæ infundentis, tum & ho-
nestos cœtus protegentis, quam veluti
suū conditorem ac persuasorem meritò
veneratur natura naturata, atque sic
REIPUBLICÆ formam proximam mun-
di fuisse, **SCIPIO AMIRATUS** veritatis
amans non incommodè persentit. (β) Si afactis re-
igitur penitus naturalia introspiciamus, rum Sym-
speciem **REIPUBLICÆ** monstrantia, quæ bolis,
dam in iisdem aliis nobiliora, ut Cœ-

Ium elementis, Sol astris, animalia quoque rationis expertia, ceteris inanimatis præstantiora esse animadvertisimus. Illis quoq; quos intellectus & voluntatis imperium regit, sunt forma Regni Regesqve, quibus obedientiam exhibent; sicuti à gemmulis, aureo & argenteo mixto nitore fulgentibus, dignoscitur *Titan*, Rex diei, noctisqve *Regina*, *Luna* placidissima. Eodem modo pisces, catervatim junctis viribus, aquarum undis, sese delectantes, seu eas attrahentes, ac in magna multitudinis abundantia huc illucque confluentes (tanquam tota *RESPUBLICA*) suum eò quoqve dirigunt cursum, quo eorum Dux sese confert. Hinc nec discrepantem, pennatis avibus in aëre volitantibus indidit vim effectrix *Natura* rerum, ut semper vibratione alarum, comitentur Imperatorem a loco in locum. Idem videmus in insectis, tum apibus, Serpentibus, ceterisqve, de quibus copiose referunt naturalium experientia incliti, *PLINIUS*, *ALDROVANDUS*, *JONSTONIUS*. Verum non iis tantum, sed quoque animalibus brutis, omnibus in sua specie commune est, suis

ducibus atque præsidibus in officio non deesse. Ita Leo pro quadrupedum, Aquila pro volatilium principatu pugnant. Id etiam obtinet in floribus; Sic Liliorum splendor, Anemonum gloria, Tulipæ honor, Pœniæ purpura, & iridis gratia, vulgarium herbarum simplices colores, longo intervallo post se relinquunt.

Ex hisce dictis colligimus **REIPUBLICÆ** Societatem, ejusque formam, ipsam naturam etiam quasi depingere, & licet solius sit hominis, nihilominus brutis naturali impetu in sua quævis objecta ruentibus, tribuitur Jus naturæ, non priori, sed posteriori sensu, sana ratione evadente, acceptum. Præterea, etsi irrationalia istius Rei duntaxat imaginariam, seu potius fictam impressionem habeant; Tamen quicquid sit, ordinem quendam servant, nec discrepant ab hominibus, nisi ipsis signis, scilicet parentia animi, mentisque: Cum feris *impropriè*, sensu & ratione ornatis imperium *propriè* adsignatur. (y) Connexio proporrò membrorum nostrorum, effigiem hujus rei non inepte representare potest. Cum partes

Principales hominis aliis præfulgentes,
iūdem quoque ministerio suo inservi-
unt; sic caput reliquis eminentius su-
premium occupat locum, tanquam arx,
quæ sua magnificentia ceterorum mu-
rorum extinguit gloriam; sic mem-
brorum junctura, veluti illud sublime (ut
supra dictum) corpori corpus brachiis,
brachia manibus, manus pedibus, eodem
modo reliqua cuncta inter se auxilium
singulis præstant: quæ cuncta, *anima*
per nervos ac arterias, tanquam habe-
nas regit, in corde ac cerebro domici-
lium principatus sui obtinens, ex qui-
bus ejus facultates emanat, quarum quæ-
dam *superiorem* & *eximiorum*, quædam
inferiorem, suæ dignitatis observant
gradum. *Mens* interim ob supremam
excellentiam, secundam scalam omni-
um virium adoritur, deinde *voluntas*,
methodo decenti, reliquis operationi-
bus palmam præripit, utendo animi im-
perio, corporis servitio. Denique (d)
cum privati homines de re aliqua inter
se dissentiant, mox unum liti defini-
endæ præficiunt, velut istius rei arbi-
trum, cuius etiam decreto morem ge-
runt atque obediunt; multò magis so-
cietati

359
cietati per imperium quoddam civile succurrendum, quod natura syadente, seu Jure naturæ dictante, introductum est.

Art. X.

Perceptis hisce, statim nobis cogitan- A robustâ dum est, de causa Impulsiva, quæ constan- hominem ad *REMPUBLICAM* ample- tiâ verita- cterdam vocat. Novimus qvidem illum tis. rationis & sermonis esse participē, quæ bona frustra ipsi a DEo essent concessa, nisi usui destinato accommodarētur. Sci- licet tantum valet Index animi per effi- cax Instrumentum atqve adminiculum lingvæ, ut distinctione separet justum ab injusto, imò sensa animi exprimat, consiliis & monitis utile præ inutili aliis persvadeat, bonum, perniciosum & noxium indicet, animos beneficio suo conciliet, cunctaque dictitet. In quem, quæsō, finem ipsis hæcce gene- rosæ indolis indicia tributa sunt, nisi ut mortales ad societatem & *REMPUBLI- CAM* capescendam impellantur, non solum simile quoddam ad propagatio- nem generis edendo, verum ad vitæ cul- tum & necessitatem eos conjungendo.

Quid

Quid censendum de appetituſ qui ho-
minibus etiam finaliter frustraneus ef-
ſet, ſi non effectui daretur, ac omni-
potentis intentioni in rerum natura re-
ſpondeant actus actionesque. Sanè ejus
vim tanti faciunt eruditi, ut ſi non in
communi vita exercitio mandetur, ferè
pereant ac cadant omnia, imò, sociali-
tas ipſa farta tectaque neutiquam ſub-
fiftat, ſed corruptionem patiatur; In-
fixum autem illum Naturæ, ſocietatis
appetitum, excitant, dirigunt, mode-
rantur ac perficiunt intellectus & vo-

Utilitatis. luntas, qvibus homo beatus eſt. Ce-
terum in Hominis ſuſtentationem &
conſervationem cuncta eſſe creata, quis
eſt, qvi ignoret? ſiquidem, ſi accuratori
animi meditatione omniū in terris re-
rum exiſtentium ordinationem, mirifi-
cam diſpoſitionem, & vinculi cohæren-
tiam penſitaverimus, ingeniiq; ac judicij
interioris cogitationis efficacia pervol-
verimus; Tunc inficias ire non poſſu-
mus, cuncta hæcce magnetica quaſi
catena conſtricta, ſui invicem non in-
tendere deſtruptionem, nec in ruinam
& perniciem ferri, ſed quam maximè
& ſemper, quibus fieri poſſit mediis, u-
nionis

nionis concordiam servare. Si quis autem contrariū statuere voluerit, tunc conscientiæ suæ testimonio, prius immo-
tæ veritatis arguetur. Subjiciamus o-
culis nostris animalia irrationalia, bruta
uno reverè nomine dicta, quibus insi-
tum est variis prospicere modis suis,
suos producere fœtus, productos dili-
gere & amare, suorum semper uti con-
versatione generum, nec libenter ali-
arum ferarum consortio semet miscere,
nexus instar, inter se vitam brutalem
ducendo, agendo, degendo. Multò
magis hæc hominibus præprimis, sicut
omnium animantium generi à natura
data sunt, quasi attributa naturæ con-
venientia, qvæ ab ipsa segregari neque-
unt, qvia se, ad vitam corpusq; tuen-
dum propensissimè inclinant, nocitura
depellendo. Qvis seipsum sibimet ipsi
non commendat? appetitus enim no-
bis inest, cum studio conservandi vali-
dissimus; cernimus namq; natos infan-
tes, qui omni conciliationis modo ra-
tionem ineunt, ad suæ securitatis sta-
tum obtinendum, sese nutricibus suis
insinuandi: ardentissimi amoris æstu
proseguentes ea, quæ spectant ad cu-
stodiam

stodiam suæ vitæ, nociva vero magnopere fugientes, quasi perterritos. In confessio satis est, imo totius hujus dissertationis structura ac cōpages ijs superstructa est Achillæis rationem arietibus, ut perspicuum sit, singulos vitam & membra sua defendendo, diligentissimam rerum suarum custodiam agere. Jam vero homini ratione instructo hoc magis curæ cordiq; erit, quam pecorib⁹, qvæ natura ad pastum tantum prona, & ventri gulae dedita finxit. Notum unicuiq; est, longè nobiliores esse facultates & fines hominum, quam brutorū, illi enim unicè de sua suorumq; salute solliciti sunt, haec fere instinctu naturæ ad id compelluntur. Cum autem scientiæ, Intelligentiæ, & ratiocinationis usu, omniq; judicii & mentis vigore, omnia percipiat homo, qvem, amabò, in finem ejusmodi divitiis hunc ditatum novimus, nisi appetitu societatis in conservatiōnem sui intenderet natura, scopumque suæ utilitati intentum atque accommodatum qværeret? Quod enim commune in civili conservatione bonum, si consequatur, necesse est, principem qvendam existere, tanquam effectorem,

qui propositum illud , ad metam sibi destinatam , deducere possit ; Cum enim ipsa per se efficere nescit multitudo , ideo istius curam suscipiat *REPUBLICA* ; Qvæ duplici æstimatur fine , scilicet *interno* & *proximo* ; qui est bona & legitima ejus constitutio , constitutæque administratio , tam à parte imperantium , quam à parte parentium , & *externo* , qvi est felicitas civilis , consistens in affluentia bonorum spiritualiū , civilium & temporalium . Quantam jucundia dehinc jucunditatem secum ferat *REPUBLICA* , unicuique natura in aurem susurrat . Ceterum commoditatis amœnitatisqve gratiam narrare volentem , destituit , procul dubio , ingens harum rerum abundantia . Sanè inquam , non securam , sed quotidianis insidiis & periculis obnoxiam ac miserrabilem acturi essent mortales vitam , dum defectu jam naturæ introducto , pravitas & malitia quorundam , adversus alios insurgentium , spoliantium , omniaqve injuste occupantium , qvæq; sibi objecta , imperio subjicere suo , nō vererentur ; qvæ omnia alias evitazione declinarentur

narentur; dum unusqvisque rebus suis
 majori securitate curam injicit, ut nemo
 alteri sit detimento, ad promovendam
 rem suam, summo opere, labore & sude-
 re forsan a quibusdam acquisitam. Quid
 Jucundius vita civili? ubi sub protectio-
 ne ac defensione summi Imperantis a ta-
 tem colere liceat; Is etenim est, qui o-
 mini conatu quosdam metu poenae coer-
 cendos; quosdam praemii ob merita affi-
 ciendos; quosdam immorigeros rele-
 gados: aut capite plectedos monet; qui-
 busdam iterum necessaria praesidia, mo-
 do contra rebellantium, modo adver-
 sus hostium impetum & excursiones,
 decernenda consulit: Hic itidem o-
 mnibus consiliis viribusque utitur, ad
 quietam & tranquillam vitam servan-
 dam & obtinendam, quantum condi-
 tio humanarum rerum fert; In quibus
 tamen nihil ab omni parte beatum, per-
 fectumque deprehenditur. Nihil a-
 prius ergo in *REPUBLICA* viven-
 tibus, quam ut fruantur conversatio-
 nis confabulationisque affabilitate;
 dum alias ferarum instar, in quae-
 vis inconsulto precipitarentur, quia nul-
 lum animal indomito homine ferocius

ac magis improbum est. At de mediis DE-
us ipsi prospexit necessariis, qvibus desti-
tutus, peritus Homo post lapsum egre-
sus cum debilitate in hunc mundum ;
factus igitur sollicitudinis impatiens, de-
serta loca obscuritate abscondita, & no-
stuis ac bubonibus convenientiora, sem-
per fugiens, appetens rem naturæ con-
sonam suæ, ac sibi gratam, seu quasi na-
turale, scilicet *REMPUBLICAM* ad benè
beatèque vivendum, quantum fieri pos-
sit, is etenim Salus ejusdem est.

Qvàm non adeò curiosè de libertate
Civium à BODINO disseritur, qvod
Civis partem libertatis suæ naturalis,
dum se imperio subjicit, amittat; Ea
collectio sincero argumento non robo-
ratur. Nam qvamvis potestatem sum-
mam alterius agnoscit sese superiorem,
& inde inducitur quædam obligatio,
tam *naturalis*, qvàm *civilis*, nulla sane
libertate naturaliter amissâ, cum ipsi
relictum sit liberum arbitrium faciendî
id, quod bonum, malorum autem ho-
mini nulla reicta est libertas. Is ipse
mecum in definitione Civis, hunc per
liberum hominē describens consentire
videtur; Qui quidem Urbicola non quo-

ad actiones elicas, sed tantum qvoad imperatas, id est, civiliter ad hoc vel faciendum vel omittendum cogitur. Ideo Imperium non esse servitutem, affirmat PASCHALIUS.

Nam testibus SCIPIO AMIRATO & BOSIO, hominibus dissolutis & in sylvis agrisqve vagabundis non extictus fuit amor ille nativus, qvi in mortalium præcordiis insignes excitat flamas, propellens illos melioris vitæ causâ, & ad mutua auxilia fera da, ad labores partiendos, ad genera eorum per speciei ejusdem fortis communionem propaganda, in unum ad coalescendum. Nobis inter alia exemplo esse possunt ROMÆ primordia, quæ à ROMULO ejus conditore incepere, colluvionem variis à regionibus, & suis è seaibus excitam & collectam dum confluere permisisset, eique REPUBLICAM sibi eligere ad vitam felicius colendam, potestatem dedisset. Sed post constitutionem illam, naturali impulsu ob egestatem, in SABINORUM foeminas ad sibi comparandas in uxores ferebantur; qvam ob causam, spectaculo quodam exhibito, ejus desiderio

& cu-

& cupiditate aspiciendi vehementer ta-
ctæ mulieres, postquam per nuncios in-
vitatæ, aspectatum, venerunt, per fas
nefasque ac invitis earum viris per ar-
ma violenter ereptæ sunt. Civium nu-
mero hoc modo multiplicato, in tan-
tæ molis gregem coaluit, in quo conti-
nuò aliquem ordinem fuisse, qvi mul-
titudini necessitatem hujus arripiendæ
adscriberet, alias maximarum pertur-
bationum minæ exsigerent, à qvibus
semper abhorret natura. Hunc ordi-
nem imperantium & obedientium ab
unâ parte desiderat *indigentia*, ab alterâ
ordinat inter homines sanguinis *proprie-
tus*, quas *jura naturalia* homini sui stu-
diosissimo, per se egeno, multis imbe-
cillatum speciebus obnoxio, aliorum
opis indigenti, & ad auxilia unâ sube-
unda valde prono, coæva, ac ad *REM
PUBLICAM* excipiendam destinata, su-
perant. Cujus rei commentarium qven-
dam, typis excusum, in *GROTIUM*,
per qvam feliciter, stylo florido exorna-
vit *BOECLERUS*.

Art: XI.

Mirum alicui esse non debet, hujus Aliorum
rei considerationem neq; silentio, explana-
E 2 seu tio,

seu siccō pede me potuisse præterire,
quin sententias, monstro haud dissimiles
qvorundam, adferendas sentiam.

N Quod proinde concernit GROTIUM, ingenio illustrem, errore tamen quodam excusabili ductum, indicando in libro de Jure belli & pacis; is homines propter violentiam aut metu violentiæ primò in civilem societatem coiisse asserit, & nullam aliam huic rei adhibet causam, quam terroris pavorisque vim, non naturalem, sed externam, nec internam & impulsivam, verùm coactivam ab externo motu & principio. In aliâ sane mente nos cum Philosophiæ Peripateticæ Parente ARISTOTELE versamur; hominem naturâ, i. e. naturali ductu, seu innato instinctu, impulsu, svasiōe, motioneque sangvinis, ad naturæ communitatem amplectendam rapi sine aliqua coactione externâ, sed libertate naturali alliciente, abjecto imperio Tyrannico, etiam omni malorum metu absente, idipsum testantur CONRINGIUS & ZIEGLERUS. In loco quodam contrariam adversus se idem nominatus iniit rationem suo semet ipsum gladio jugulando, corrigendo-
qua

que suæ indolis vigorem, dum rejectis
opinionibus aliorum hujus existimant-
ium amoris vinculum, ex sola quasi in-
digentiâ profectum, conjunctumque
spontè ac liberè, destinato & proposito
animo, impellente *naturâ*, ductas
primitias rationalium fuisse, scripto
comprobavit. Verum est à DEI (ut su-
pra expositum) voluntate *REMPUB-
BLICAM* pendere, & ideo vocant Apo-
stoli *divinam ordinationem*, ubi ite-
rum alibi *humanam* saltem *institutionem*,
defensum eunt. Mentem eorum
sic interpretari liceat: Mortalium civi-
lem potestatem, hominum rectæ ra-
tionis dictamini instillatam, esse
appetitionem hujus compositæ societatis
ineundæ, omnibus constat. Nec se-
quitur Mortales ab initio necessitate
quâdam urgente ad hanc recipiendam
adductos, unde deinde originem trahe-
ret *potestas civilis*; illa, ratione mi-
nimè hominum excogitata, sed tantum
eorum esse propriam, ut BEZA me-
minit; potius humanâ scilicet ratione
causæ ministerialis ac *instrumentalis*,
quia per nos, umbræ similes, illam excolit

atque exercet Deus, sicuti *Causa Principalis*.

¶ Sunt quidam vanitate mentis capti, ortum *REIPUBLICÆ* affirmantes temerè, fortuitò, imò casu, tum & homines ad eam, veluti atomos frustra ac nullà cogente causà, confluxisse. Hanc opinionem quoque *EPICURI* fuisse putant, qvem eleganter summo studio refutat *Eloquentiæ Parens CICERO*.

¶ At *VETRUVIUS* falsò omnibus persuadere conatur, mortales prodigii & miraculi causa sese congregasse, aspectu primo ignis a se remoti, quam rem mox judicabant admiratione dignam. Tanta repræsentatio, imaginantibus sibi aliquid, terrorēm incusit; ex quo factum est, ut pavore seposito, proprius ad ignem appropinquarent, calore post percepto, ejusque virtutis paucisper vi pensata, sedem ibi statim eligere, domiciliumque figere societati ineundæ aptum, ipsos invasit stimulus. Hæc sententia ferè *Poëtica* est, à fabulis dicens originem, latente similitudine amoris, sub nomine ignis, per qvem homines in Societatem adductos esse, unicuique compertum est.

Rationales beneficio Musices pri-
mum in notitiam *REIPUBLICÆ* venisse,
fictione qvadam mentes expromunt suas
DIODORUS SICULUS & HERODO-
TUS; qvorum vestigiis instat *OVIDIUS*
narrando; Ad pagos, vicos, Civitatesqve
propter in iis domos exstruendas, atq;
ad frigus, calorem, aliasqve cœli inju-
rias depellendas, seu aduersus ea se mu-
nirent, homines in unum se recepisse.
Verūm non harūm, sed *Indigentia* (ut
antea memoratum) illa etenim est *Se-
cundaria causa*: Hæc autem res à qui-
busdam distribuitur in causam *efficien-
tem internam*, quæ est natura, seu po-
tius lumen naturale, & *impulsivam*,
cujus iterum variæ esse solent rationes.
In horum castra descendere enumeran-
do, & refutando insignes sententia-
rum sibi invicem pugnantium exercitus,
operam impendere non volupet est:
dum hoc negotium *BOSIUS* sat super-
que a se expeditum reliquit. Et ne o-
mnia longius perseqvar, sat hujus rei
erit asseruisse *naturam* semper homi-
num fuisse directricem atque instigatri-
cem. Inspiciant igitur, quibus lubitum
erit, Auctores, qui ex professo jura
natura-

naturalia & moralia tractanda in humeros suos suscepereunt, tunc testimonia ipsorum, meis partibus famulantia, oculis eorum ac sensibus obvia erunt.

Art. XII.

A primordio mundi exorta est Res-publica.

His ita præmissis, qvæ non minimam subjectæ huic materiæ lucem fœnerari videbantur; Pro ratione instituti me jam accingo ad expositionem assertioneque *REPUBLICÆ*, circa primordia rerum inceptæ ac institutæ. Et quemadmodum penicillo levi & simplici huc usqve depinximus ipsos fontes, utpote *cœlesti Numen*, & ipsam divinitus omnibus datam *naturam*, unde *RESPUBLICÆ*, tanq; ex suis insurgebant incunabulis. Ita illis probatis mihiq; concessis, nunc id agendum est, ut certò certius evadat, introducendarum *RERUM PUBLICARUM* initia *in statu etiam Integritatis*, adeoque in primo ortu mundi comparuisse. Cui sententiæ pondus addit progresiu temporis facta earundem conservatio & propagatio. Sed nemo mihi vitio vertet, quod allegationibus scriptorum quorundam stipatus

slipatus, interiora proprius perscruter. Tot sanè diversitates ingeniorum, tot sententiarum divertia, tot hominum, circa hujus rei enodationem, altercationes enatae sunt, ut difficulter quisquam se explicare queat. Imprimis ergo longè probabiliora affirmantium placita, deinde exclusione & remotione eadem negantium, sub incudem revocabo.

Concordant in eo sensus plurium, quod in statu jam primævo scaturiginem suam **RESPUBLICÆ** adeptæ sint, quibus vero Ego album adjicio calculum, cum Amplissimo illo meis maximè favente partibus **PASCHALIO** sic dicente: Regis nomen primum in cœlis resonasse, dein verò in terris omnium temporum memoriæ consecratum fuisse, imò hodiè perennare ob solius virtutis præmium. A Rege sane est omne Regimen (ut supra expositum) quod utile interim, si non necessarium, propter gradus virtuosæ honestatis in ipsis hominibus integris fuisse, refert **VALENTINUS ALBERTI**. Huic subscribit **HOBESIUS**, dum profitetur justum & injustum ante regna suos non vidisse natales, nec eodem in hæc

inferiora volitasse ; estque illud dicta-
mini rectæ rationis conveniens, ac Re-
gimini consentaneum , æqvum ab ini-
quo ut discrepentur. Inde prima tem-
pora *REPUBLICÆ* perfectissimam etiam
in ipsa integritate speciem præbuisse,
apparet. Ex mente quoq; ARISTOTELIS
eam necessitudine quâdam esse opti-
mam *REMPUBLICAM*, cuius beneficio
benè quisq; agere, ac beatè in ipsa verâ
beatitudine vitam transigere potest. Ex
hisce idem prænominatus VALENTI-
NUS ALBERTI ait *REMPUBLICAM* na-
tam, ex hisce sane principiis , seu axio-
matibus Juris naturæ primariis , hanc
dirigentibus, à primævâ origine *forma-*
liter pendebus , quæ eadem forma
& ratione objectum suum directura ,
mutata facie *normaliter* tantum, quoad
officium directionis, isti corrupto statui
propria. Intellectu inter ceteros Ju-
risperitos illum volve, quem modo
nominavi. Quorum omnium agmen
sectatur CONRINGIUS, pronunciando
REMPUBLICAM, si non per ADAMI
lapsum in virtu deflexisset hominum ge-
nus , tamen futuram fuisse. Quod
multis & perspicuis propugnatum it
ratio-

rationibus ; quarum contenta si enarrarem, nihil nisi jacturam temporis facerem. Cum omnia literarum monumenta satis superque , etiam ad naufragium usque, Auctores sint , statuendo imperium illud primum ac primævum longè majoribus fuisse (si modo non intervenisset infelior fatorum casus) felicitatis deliciis scatens , ac circumscriptum, quam illud, quod hujus nostri depravati status miseria , jam reverenter colit.

Art. XIII.

Ceterum cum nihil fingitur in naturâ Poëtarū rerum, quod non aliquod principiū allusio- um primum veneratur, seu quod nes alle- non refertur ad illud , cui originem gabit, adscribendam esse, svadet ratio. Hinc progreditur illud, figmentum in se con- tinere etiam veritatis quodammodo convenientiam, quod si non fieret, ali- às non commentum, sed purum men- dacium esset, à quo semper, loquela & calamo abstinentiam omnes judicant. Sed annè ansam nobis præbuerit PLA- TO ? notitiis veris suffultus , in civili Decalogo , cum Poëtis quibusdam ex- ponen-

ponendo ; (Qvamvis hoc genus lo-
quendi perobscrum sit) auream quan-
dam fuisse mundi ætatem sub Saturno,
in quâ homines passim omnis legis ,
jurisque expertes, sine Rege , Duceve ,
præterquam Deo obedientes, vitam ce-
lebrabant , cibum ad victum è terræ
frugibus, herbis, arborumque fructibus
capiebant, extra molestiam ac laborem
illarum partium ; ita omnia fuerunt
iis communia atque obvia . Hanc si-
ne dubio mundi faciem ac conditio-
nem, Philosophi antiqui ac Poëtæ ex
eò commenti sunt, quod ab HEBRÆIS
ad eos aliquando relatum sit , (ut alia
Religionis mysteria ac secreta quædam,
penitus silentii sapientiæ involvam) Au-
reum seculum fuisse quoddam primo-
rum hominum ; quam sententiam re-
tinet GELSTRUPIUS, illi innitens ra-
tioni , à primævo totius universi exor-
dio adfuisse homines, Deo gratos, in-
nocentes, nullisque adhuc vitiis inqui-
natos, majori alacritatis probitatisque
studio, Justitiæ Religionique invigilan-
tes, ut pluribus verbis expositioni dili-
gentiam adhibuerat. Quidam in hac
versantur persuationis via ; plurimum
faci-

facientes , auream orbis effigiem ab
 ipsis haberi censerique statuam auro
 inscriptam, secundum D A N I E L E M ,
 qui majeftatis in hisce terris sceptr a C A L -
 DÆIS, & B A B Y L O N I I S deferre gestit.
 Sanè diversus est hic sensus, ab eo,
 ad quem illi ducuntur, quia post di-
 luvium nullus assertioni illorum, ne-
 que innocentiae, vel vitæ integritati re-
 lictus est locus. Nam ætatem mundi
 primam, de qua sæpe locutus sum, bre-
 viſſimo equidem tempore stetisse , e-
 buccinant cordatorum ora, nempe an-
 te miserabilem ADAMI, totiusque hu-
 mani generis tragicum lapsum ; Reli-
 qvum post hanc egressionem , hujus
 ævi effluxum , à PROPHETIS ferreum
 & improbum seculum planè & haud
 immerito portenditur. Hoc vero ad
 DANIELIS vaticinium minimè spe-
 ctat, sed ad ipsa vitæ primordia & ru-
 dimenta. De hisce ætatibus per quam
 feliciter, opusculum quoddam conscri-
 psit L A M B E R T U S D A N Æ U S . At, su-
 persedeo ulteriori fictione P L A T O -
 N I S , in Atlantico A T H E N I E N S I U M
 affirmante R E M P U B L I C A M quandam,
 seu alias A T H E N A S , per octo an-
 norum

norum millia continuasse ; Idemque
 in Timæo aperto ore contestatur. In
 paucis eum errasse (quod hominum
 est) fateor; Verum huic fidem facere
 valeo , quatenus contendit illam for-
 mam initiatam fuisse ante annos , qui
 excessere post universitatis hujus con-
 stitutionem, 5639. secundum mentem
SCHRADERI, ob ordinem in illa ser-
 vatum, cuius prima semina in creatio-
 ne , animis hominum ipsis , venustate
 involuta rerum , consecravit omnium
 summus , ut semper futuris seculis , in
 rebus omnibus, si successione prospera
 duraret inceptum , custodiæ observatio-
 nique , tam in incorrupto statu , in quo
 homines vicitassent , si perstitissent pri-
 mi parentes inconcussi , multiplicatis
 posteris majorem in numerum , instar
 capitis unus præcesset , non obstante
 divinæ imaginis specie , quæ omnibus
 adfuit , cum relictus fuisset locus ob-
 sequio , è naturâ ipsa resultantis ; At ma-
 gis in corrupto statu , ubi omnia suspe-
 cta ob caducam ævi vitam videntur ,
 qui sine ordine quodam tam parenti-
 um & imperantium consistere nequit ,
 neque ille in universitate divellitur , in-

star animæ rationalis ab ipsâ immortali-
 tate. Et equidem quod non nobis-
 met ipsis nati simus, sed proximo, ad pro-
 movenda mutua commoda, quis est,
 qui negaverit. Sane juxta vetus tritum
ERASMI, *Homo Homini Deus*; Certè
 & verissimè beatum illum statum re-
 rum, beatitudinem ipsam nuncupare
 licet, ubi homo perfectissimæ rationis
 lumine perfruens, plenissimus ad bene-
 faciendū suæ fortis æqualitati omnini su-
 ferebatur. Qvalem civitatem bea-
 tam, subtilis calamus, vivis suis depingit
 coloribus, **FELDENI**. Qvibus præsup-
 positis, instituti filum ulterius pertra-
 ham respiciendo ad ordinem, quem
 Deus in sacris literis promittit se ser-
 vaturum, imò post resurrectionem mor-
 tuorum in extremo die judicii, ubi
 illi, qui multos ad æternam salutem
 manuduxerunt, instar stellarum inter-
 ceteras cohortes micabunt. Sed for-
 tasse manifestior res unicuique & sin-
 gulis pateret, si ostensione quadam
 asseramus **REIPUBLICÆ** in modum
 cuncta, certa quadam methodo, sex
 dierum spatio, esse producta à pruden-
 tiſſimo productore.

Art. XIV.

De primâ
instituti-
one Soci-
etatum.

Ipsa jucunditatis amoenitatisque hortus Edenici supellex, per institutoris vim Neonymphos illos, **ADAMUM**, & **EVAM**, matrimonium appetere allexit: adeo ut associatis juncturis animæ corporisque, cum ille omnium viventium esset parens, tum hæc (alias nomine veniens *Viraginis*, quæ à viro, seu ejus una costa, desumpta fuit) mater eorundem; Hoc ipso civilis consociationis primordium, pleniorisque familiæ seminarium, existebant, quod & eventus comprobavit, cum illam copulationem, non saltem individuorum secuta est propagatio, & per multiplicatas generationes connexio, sed & prima **RERUM PUBLICARUM** exorientiū facies, quò, sicut ex *domestico* & *familiari* consortio, exsurgent mutua adiutorii dulcedo ac placida vitæ delectatio; ita ex Regimine Politico illius, tanquā cōseqventi, accrescentis humanæ sortis & in unum coalescentis, civilis progerminaret beatitudo; ubi justitiae amor, legum cultus, in avertendis, propulsandisque injuriis animi magnitudo, in longè

longè latèque prospiciendo prætaventis etiam malis prudentia, utramque paginam facerent. Tanta sanè diyini commercii cum humanis efficacia efficit, ut ex uno atque altero capite, tot hominum millena millia, seu ex tam levibus initiis tanta exorta sint Imperiorum Regnorumque pondera. Verum de hisce satis; Jam ad id, quod est hujus causæ primarium, mea festinat intentio.

Illis etenim vinculo quodam indissolubili sic junctis, summorum animalium affectio grata, ac bonitati coæva, tum primæva injecta est, quæ semper omni conjugio & copulæ maris ac foeminae posteritatis in documentum continuabit, cui quoq; benedictio spiritualis divino ab ore effusa semper adhæreret. Hæc formarum species incitamento eqvidem fuit *Imperio maritali*, ac invitamento & præsentibus & futuris rebus. Nam illam uxoris titulo dignam, ex osse carneo viri sui, & qvidem sinistri lateris conformatam, asserunt RABBINI; ut semet inferiorem marito suo dignitate, & excellentiâ prehenderet; Idcircò suum instar dominatoris fruentis nobiliori intellectus

Maritalis.

luce, benigna loqvela S A R A appella-
 vit dominum caputq;, qvo honoris titu-
 lo suam innuebat observantiae subjecti-
 onem. Faxit summus Præses, ut hodi-
 e q; debilioris illius sexus animis hæcce
 infixæ hæreant; Qvò semet cum poste-
 ris suis cunctis, ingenio vivacitatis,
 tum splendoris ac roboris donis or-
 nate, imò, tam animo, qvam corpore
 pares maritis neutiqvam se agnoscant,
 sed infirmitate infirmiores memine-
 rint! Et qvainvis Homunciones non
 tantum *animali & sociali*, sed *rationali*
ductu, seu beneficio rectæ rationis con-
 jugiorum ineundorum incredibili ar-
 dent cupiditate, illud nihilominus et-
 jam desiderium instinctu & inclinati-
 one qvadam naturæ, absq; aliqua *præ-*
electione, sed *electione*, & sine discri-
 mine, ac ~~wgal~~ *bruta* tenet: qvia,
 (ut sæpiissimè à me commemoratum est)
 convenientius ac præstantius esse natu-
 ræ, honestæ quieti securissimam vitam
 committere, quam in anxias & mo-
 lestas solitudines dilabi. Dum hisce im-
 moror, cursum sermocinationis pauli-
 sper sistere necessum duco, donec ob-
 staculum mihi in Oceano naviganti oc-
 currrens

currens propulsaverim : Est illud duarum videlicet facierum in unâ carne repræsentatio. Dum hanc perceptiōnem visus ad animum volvo, delibera-
tione diligentē habitā, patefacit non solum mihi, verum singulis, cœlestis ille spiritus, duos in legitima coniubiali co-
habitatione fore, neglectā plurium mi-
rifica dissensione & discordiā ; In hujus
rei exemplum JACOBI, RAHELIS &
LEÆ, thori Domini conjugium, non
approbavit, sed permisit, & toleravit
conditor omnium, ut placet cautori-
bus. Ceterum abominandæ polygamiæ
auctorem matrimonialium legum pri-
mus violator sese manifestavit L A-
MECHUS, nomine BIGAMI qui
ideo postea notatus est ; Cujus quoque
vestigia multi infeliciter ingressi sunt, ut
experientia ipsa testatur. Alias Docto-
res ulteriorem viam deductionis ster-
nere in hoc negotio jubet rerum subtili-
tas.

Hujus effigiei materia, quæ à me qui- Paternæ.
dem leniter pensata Paternam aspexit
Potestatem, è securitatis & charitatis
fonte effuentem, juriumque non atro-
citatibus & severitatibus, verum lenitatis

principia, officiorumque indicia reser-
vantem; Hanc auctoritatem ob oculos
positam suspiciunt filii obedientiâ per-
actorum monitorum paternorum, ac
obsequio servitorum præstandorum,
quæ cuncta ex legibus amoris cordi in-
sculpta & impressa sunt. Quod autem
genitoribus haud præstò fuere illi, per
quos sese veneratio filialis exhiberet; Cau-
sa evidēns hæc est, quia, non diu harum
amœnitatum & felicitatum paradisiaca-
rum participes fuerūt Protoplasti. Hunc
defectū tandem sustulit præsentia CAINI,
ejusq; fratrum ac posteriorum. Nec sa-
nè in dubitationem quisquam se trahi
sinat, quod thalamus ipsorum, pigno-
ribus non fuerit in statu hocce felici
fœcundatus, cum & id quoque conti-
gisset, si diutius in illo permanissent,
incorruptique stetissent.

Herilis. Idem etiam servandū nobis in tertia
societatis specie, videlicet *Herilis*, ubi
præcipue de servis mentio fit, qui qvidē
naturā non primariō intende, tales
nascuntur; interim tamen adeò rationis
impotentes, ac tenebrisosæ stoliditatis
immersi cœno sunt nonnulli, ut sibimet
ipsis de victu & amictu prospicere neque-
ant;

ant; A Philosophis *servos natura* vocari notum est, solummodo aptos ad onera portanda, & Patribus familias adjumento inserviendi natos; At juxta JCtos nativitate ancillarum, captivitate, pœnâ & venundatione certi pretii, fiunt servi, quibus jugum servitutis detrahit, & jus herilis potestatis remittit, tum & libertatem reddit, manumissio vel vindictâ, vel sensu, vel testamento. Hoc servitio hominum ADAM carere eqvidem potuit, præsentibus, consortii adjutorio, atque instrumentis aliis, ad promovendam illius felicitatem, per quam necessariis; At insuper vacuum locum animantium irrationalium impleverunt munia.

Art: XV.

PAUCA adhuc hisce subiecto, ne amputatione quadam abrupta, præritarum rerum planè immemor esse videar. Hæcce etenim prima connexio animarum, atq; maritalis integræ affectio, paternæque societatis regimen, tum & naturalis potestas, semper usque ad interitum universi inviolata perdurant. Verum enim verò hæc ordine secunda, licet in principio destitue-

Trium
specierū
brevis re-
petitio,

batur suo *correlato* nimirum *liberis*; interim tamen quin ea ibi dici fuisse queat non inficias ire possum, cum in proxima potentia ad procreandos liberos fuerint primi illi homines. Ceterum interdum *Herilis* iis familiæ partibus antenominatis annexitur, nec tamen ideo semper procedit, tres requiri distinctas personas civilis familiæ. Nam Paterfamilias, utcunque fit inter egenos paupertatisque onere gravatos, ipsi siquidem suis rebus incumbunt, ac operam navant. Accedit & illud, quod sociates, intra simplicitatis quamvis terminos consistentes, sint *REIPUBLICÆ* fundamenta, nec sine iis tanquam *subjecto* durationem aliquam sibi promittere valent. Aucto sic numero liberorum, accrevit paulatim unà cum tempore latius eorundem *Dominium*. Quo autem excluso, nulla res aptè commodeque constituitur, dum alios etjam regere, aut ab iis regi desiderat ipsa *mortalitas*, quæ quoque ineffabili appetitu & imperandi desiderio nimium quantum exarsit. Hæ ferè sociates, partitionem & *simpli-*
cium, & compositarum, juxta Politicorum
regulas

regulas, subeunt; Illæ iterum in *ordinarias* & *extraordinarias* dividuntur; *ordinariae* illæ tres jam satis superque enumeratas adsciscunt, neglectâ quarta, quam BODINUS hisce superaddere conatur; Nempe inter Principem Regionis cuiusdam, & famulos mercede conductos, quæ sodalitas eandem cum Domino & servo induit naturam; Et propterea gravius ac durius famulo mercenario à Domino tractatur, dum ejus mandato semper obsequitur, *servus*, verū *famulus*, dum tempore destinato operibus certis cum subjectione jugi subservit, donec illius spatii effluxus & operarum locatio præstata excesserint, immunis est, nec ulla Hero amplius adstrictus ratione. *Extraordinariae* sunt, veluti cum in fabricanda nave, & extenuenda domo initur ratio, quibus mediis ad compositionem atque destructionem utendum sit Architecto; Et quamvis non omnibus partibus, quarum egeat, ædificatur domus strutura, hoc agitur tamen, ut solidum jaciatur fundamentum, quo in eadem habitare liceat, donec perfectior omnibus numeris, meliorque, cunctis stipa-

ta adminiculis, adjuvationis causa *domus*,
 seu *navis* subsistat, ut *compositam*, quæ
 civitatis est, sibi acquirat. Talem con-
 ditionem universi generis humani Au-
 toris, qualem Romanorum, quibus
 principio, nec fœminas, nec parentes,
 adeoque nec servos, si HONNIO fi-
 dem habeamus, perfectam interim
REMPUBLICAM fuisse civitatem tan-
 quam *subjectum* præsupponentem, du-
 bitatione vacat. Idem quoque apud
 populum ESSENORUM usu receptum,
 literis comprobat JOSEPHUS.

Art. XVI.

Scrutini- **N**unc iterum ad ea pedem referam,
 um facri qvæ prius à me omissa sunt. Illa
Codicis sacris dicata Scriptura, qvæ fidem
 exhibens, sapit nostram, salutis protectrix, o-
 mnium virtutum amplectitur chorūm,
 vitam, bonis supra elogia, æternam, ju-
 cundissimam, malis ob scelerā sua per-
 petrata inferni atrocitatem promittit;
 cuius circa primordia ore cœlesti Moses
 vetustissimus scriptor, genitoribus, per il-
 la verba altissimi suasione: **Crescite**

&

& multiplicamini, ac vobis-
met ipsis terram universam
subjicite, plenissimam Monarchiam
obtulit.

Ex hisce late patentem Dominatum ADAMI, cui collum terestria cuncta submittebant; qvoniā unus, in cujus humeros à Potentissimo summa rerum injecta cernerentur, omnibus præfuit, ac solus totius terræ vastitatis curam gessit, haurimus. Subolfecit tale quid Divinus ille PLATO, hinc adstruendo, expressis verbis procedit, nullam intemperiem hominum adhuc fuisse; Sed eos sibi amore quodam devinciebant Irrationalia, quæ rursus intrepidè allocuti, eorum adjumentis subnixi, tandem iis ad philosophandum i. e. Deum contemplandum frui cœpere, ac hunc in finem ipsi feris interfueret, ut illis dominarentur. Idem innuit CICERO hoc ferè sensu: Omnia Productorem altissimum qvendam rationalium è humo, seu glebâ terræ formatum ordinasse, qvem voluit esse rerum omnium principem,

cujuſ nutui & voluntati ſemper obſe-
cundavere illa omnis rationis uſu de-
ſtituta, dum nullum ſanctius animal,
divinæque capacius mentis, illi ſuccur-
rere poſſit, quam HOMO, variis orna-
tus virtutibus ac vitæ adminiculis.

Eorumq; Huic omniscientiſſimi Dei imaginis
nominū poſſessori, ac ſummo Magistratus officio
impoſi- fungenti, Divina quædam *ordinatio*, atq;
tionem, benigna confeſſio acceſſit, unde ad-
ducta ſunt animalia qvæque, quibus e-
juſdem mandato ſe omni niſu accom-
modare voluit ADAM, imponendo no-
mina tam ſingulis iis, quam aliis in vi-
ſibili mundo conditis rebus, propria,
per quæ quaſi diſtribuens, ad modum in
REPUBLICA uſitatum, qvibuslibet ſuo-
rum ſervorum, (ſeu quaſi impropriè
ſubditorum, nam relata ſimul ſunt na-
turā, unum alterum conſtituens, adeo
ut poſito uno relatorum, ponatur & al-
terum, cum unum alterius terminus ſit
effentiæ, & inter ſe muſu cohæreant
hæc, ut dum de *Magistratu* ſermo fit,
mox *Subditorum* ſeu parentium audia-
tur, ac percipiatur conditio) qvorum
operibus ſemper fruebatur, munera &
officia. Alias enim ignoti nulla cupi-
do,

do, nullusque est usus, nisi utilitati ejus destinata omnia fuissent, quorum generibus, ac iis sibi dicatis, similitudine qvadam se conformans, ut occasio daretur Historicis, tam MOSI, quam ceteris, acta ipsius posteris ad pervolvenda. Inde per qvandam relationem PLATO insurgit, pronunciando ADAMUM, qvē aliter describit, primum nomina unicuique existentium designasse, qualia mente agitabat esse rerum naturæ convenientia, disconvenientiam verò sustulit omnem, dummodò pro cuiusvis natura ac indole, sine ulla discrepantia, hæcce peragerentur. Rem ipsam expositio-
ne egregia aggreditur CICERO, ejus-
dem verbi efficacia inquiens, summum,
sapientem, Magnum, ac prudentem vi-
rum olim & primis seculis è rubra exhi-
bitum terrâ, vitam immortalitati adæ-
quatam egisse, qui res omnes nomi-
num certa expressione notaverit, sen-
sa animi ex hisce collegisse, cui amo-
re incredibili, quasi terreno Potentissi-
mo Domino cuncta animantium gene-
ra fuere addicta, ad mandata exeqvenda
valdè prompta parataque; ille, juxta pla-
citum & desiderium cum applausu in-
genti

genti, in iis imperium exercebat suum,
prout sacer Codex hocce eleganter no-
bis istud cum summa cordis veneratio-
ne submissis oculis intuentibus exhibit.

**Atq; Ci-
tationem.** Ipsa etiā *citatio* nobis ad stipulari per-
hibetur, dum illi cuncta animalia vo-
cationis indictionisque cujusdam placi-
da voce accersita adessent, seque co-
ram eo tanquam judice sisterent, *non*
vi coacta, sed *lubitu* suo, neqve *vin-
culis*, *adstricta*, verum alias *subiecta*,
non opera & industria alicujus *superio-
ris*, in humano genere, at *sponte*, *libera-
que sua voluntate*. Hæcce vero nomi-
na conjuncta cum eorum proprietate,
ab ADAMO luminis naturæ gratia, ac
virtute, operâ S.S. Trinitatis sibi tributa,
creaturis imposta, qua appellatione ad-
huc illa cuncta custodit ipsa posteritas.
Horū omnium progressu temporis ulte-
riorem & uberiorem fructum & usum
sensissent mortales, dum ex unicâ san-
guinis guttâ, immensa accresceret procu-
ratio, quæ rerum cōmoditati consuleret.

Art. XVII.

**Status
Politicus
Integrita-**

Non magnopere iterum in hisce de-
lectu quodā verborum, seu accura-
ta ali-

ta aliqua inquisitione utendum nobis tis levia
 erit, sed recta ad cetera meo usui in-
 servientia dilabi placet; & sicut me non
 fugit, quod cuidam aliquid scrupuli ad-
 huc inhärere possit; Hanc ob causam
 pauca superioribus adjungenda esse,
 fortè majoris luminis tum melio-
 ris perceptionis gratia, ipsa deside-
 rat necessitas. Proinde, quærat ali-
 quis, ecquis, aut qualis *Politicus*, seu
Ecclesiasticus, primo tempore fuerit *stria-
 tus*? Cujus affirmativam favore pro-
 sequitur, & amplectitur LAMBERTUS
 DANÆUS partem, confirmando u-
 trumque hominem fuisse totius mundi
 Magistratum, Majestate Regali dona-
 tum. Quid, quod primus omnium ge-
 nitor, veluti imperator potens, sum-
 mum, ut masculum decet, administra-
 bat imperium, cuius vestigia legere
 tentabat mulier, non potestatem o-
 mnem rejiciens, quæ quoque simul cum
 marito suo DEO obediens, cuius decre-
 to se inferiorem illo agnoscebat, dum
 dominationi ejus obsecundare jussa es-
 set. Nam id, quod mas ab ore Altissi-
 mi hauserit, per communicationem,
 facta admonitione, fæminæ retulit. U-
 ter liba-
 tus.
 tebatur

tebatur igitur ADAM EVA, tanquam
 causa socia & administra, eidem singu-
 lari imperans lenitate, jura adhæc li-
 berè cunctis animantibus decernens,
 imò universum in oculis habuit mun-
 dum; verum tamen non sævum, cru-
 dele aut Tyrannicum quoddam imperii
 genus profitebatur, sed profectò Regi-
 um, paternitati proximum; Ut ferè ho-
 dierno die clementiæ atque comitatis
 ergo, salutatione quadam honorifica
 Reges, tituloq; Patris Patriæ à sub-
 ditis cordatioris mentis coronantur;
 quin & instar Tutoris loco habebatur,
 imò ut clementissimi Domini, qui ta-
 men dominii cuiusdam inordinati haud
 cupidus, curiositatis aut turpis libidi-
 nis regnandi gratia non ducebatur,
 quæ labes ab illo tunc temporis in to-
 tum exulabat. Ceterum in REPUBLI-
 CA non utile solum, sed necessarium,
 ut summa rerum ab altissimo hisce in
 terris in throno, fastigioque sedente,
 sicut uni concessa sit, ita quoqve occa-
 sione sic ferente omnia ab eodem de-
 cernantur. Hujus rationis ductu susce-
 pit ille fasces, ut Justitiam exiceret,
 ac REIPUBLICÆ prosperitati ritè con-
 su.

suleret provideretque. Atque sic idem
in statu integritatis locum reperit; At-
 tamen, non quale nostrorum nunc se-
 cularum fert postulatque conditio, ubi
 quandoque virgarum & securium ri-
 gore ac timore res peragenda venit;
 siquidem subjectionem spontaneam &
 non molestam sinè civili quadam co-
 actione, incorruptum illud, licet breve
 agnoscebat tempus. Hinc Mater illa
 pimæva ad deliberandi consultandique
 officium valdè ac libenter prompta e-
 rat, ac obseqvium suum viro præstan-
 dum pro insigni venditabat gloria. Sta-
 tui autem peccati plurima accesserunt,
 ad coercendos affectus hominum, re-
 fractariosque motus sedandos, apprimè
 conducentia. Ceterū, quænam fue-
 re leges istius Regiminis, non adeò diffi-
 cile est indicare, cum dictamini ratio-
 nis minimè congruit, quod Divini Nu-
 minis omnium rerum conservatoris præ-
 cepta, & monita mortalium, tam civi-
 lem, quam æternam salutem promo-
 ventia, cum parentum liberrimæ obe-
 dientiæ dulcedine composita, illas
 partes sufficientissimè sustinuissent. Cum
 & cuncta ad suum optimè scopum
 divi-

divina direxissent placita ; Hujus rei locupletem habemus testem spiritum veritatis in sacris scripturis loquentem. Omnes fere saniores hominum in eam mecum judicio eunt sententiam, hunc rerum statum fuisse revera in sua natura, sine ullo contradictionis & ambiguitatis fuco, *Politicum.*

Art. XVIII.

Status Eccl^{esiastico} **J**am Ecclesiasticum statum in primæva clesiasti- pariter vitæ felicitate florescentem cus pau- paucis attingere lubet, aliis tam inci- cissimis genio doctrinaque, quam ipsa exper- duntaxat entia illustrissimis, pluribus hæc illu- verbis re- strandi ansam subministrans. Illum censem- igitur primis etiamnum & pristinis tur. temporibus hisce quatvor fulcimentis superstructum fuisse, ex aliorum (quorum fides omnibus perspecta) scriptis excerptis. (a) *Verbum* illud à Dei ore facundissimo & dilucidissimo prola- psum, ADAMO cognitum, quod ille iterum per revelationis mysterium ac- ceptum EVÆ communicavit, scilicet de conditione futura illorum felicissima, & privilegiis immortalitatis, si voci divi- na, tanquam præconi maximo, vocivas & obedi-

obedientes in omnibus commodarent
 aures, continuante illo apparatu or-
 dinis, in quo tunc cuncta vigebant;
 Adjecit etiam aliqua de *historia crea-
 tionis*, tam hominis, quam totius uni-
 versi mundi, cuius *Monarcham* ac Impe-
 ratorem divinitas eum constituit; Tau-
 dem de *arboribus vita & scientiae boni
 & mali*. Hæc verò cuncta non *Scri-
 ptura* quadam, sed *ore tenus* instar con-
 cionatorum Auditoribus, futuris, ceu
 Uxori primum interpretabatur A-
 DAM. (β.) Sacra momenta his enum-
 eratis, promissione adjecta, duorum ge-
 nerum fuere, videlicet, unum *æternæ
 salutis*, alterum *terribilis damnationis*,
 seu cognitionis miserabilis totius hu-
 mani generis interitus; Si illam,
 comminationi ingenti proximam
 arborem, ore gustarent, Divinæ iræ
 cum gravissima pœna conjunctæ, rei
 censerentur, quam trāmen oculis intueri
 innocentibus licet am ac permisso fuisse,
 commemoratur. At reliqua omni inter-
 dictione carebant, ad vescendū facta,
 dum usui eorum inservirent. (γ) *Locus
 Ecclesiæ* divisorio cultui destinatus fuit *Pa-
 radisus*, hortus tam omni arborum &

herbarum genere abundantissimus & copiosissimus, qvam deliciis amænissimus, & voluptatum plenissimus, quatuor pariter fluminum nectare irrigatus, in Regione summa ubertate, fœcunditate, & fertilitate plena, situs paratusq;; instar Urbis septus ac circumdatus sepibus, præ se ferentibus speciem murorū. Ibi visibili forma illis apparuit, qvos etiam alloquebatur. Hocce peculiare Templum, fuit servandum etiam posteris, si non infelix illa & contagiosa labes intervenisset, mutuæ jucundissimæ conversationis, confabulationis, atque domestici consortii domicilio. Ideò homines quoad animam & corpus immortales, divinorum secretorum capaces, ejusqve imaginis consortes, cum exercitia *Religionis* tum *justitiae* exercuisse, sub obedientia altissimo exhibita, jam cognovimus; quæ *fulcrorum* nomine veniunt *REIPUBLICÆ*, sine quibus ejusdem aliqua legitima persistere nequit *administratio*. Hæc & talia Oeconomicis, Ecclesiasticis, tum & Politicis rebus in ipsis mundi primitiis jacta fuisse fundamenta ex Sacris discimus oraculis. Atqve sic, quis potuit dignus im-

us imperiali ornari coronâ ADAMO,
velut summo Rege, ac Gubernatore
meritissimo, nostrum omnium Auctore
ac Parente.

Art. XIX.

Quorum dā præterea fert opinio nul-
lam reverè **Politiam** statui inno-
centiæ tribui posse, utpote ei, qui publicam
in beatitudine summa aliàs optimè in statu
reqviescere potuit. Interim tamen, primævo
quamvis omnium felicitatum affluen-
tiām concedamus; nihilominus æter-
næ vi veritatis in Sacra Scriptura evin-
citur, quod summa ADAMO (ut à su-
perioribus fatis superque percepimus)
delata fuerint imperii gubernacula;
verum, quod nonnulli inhæreant vul-
gari dicterio, vehementer adstruendo
REMPUBLICAM remedium esse cor-
ruptæ naturæ, adeòque aliis hanc mediis
non coercendam esse falso sibi per-
suadent, quam imperio moribus illi-
citis ac libidinibus malis superimpo-
sito, abjecto verò ordine, qui in omni
statu tam naturali, quam civili, in obser-
vationē mandatur, ac confirmando cu-
piditatem jam in statu peccati vinculis
legum

legum & poenitatis constringendam esse, quasi vires non exercuisset suas, locumque invenisset illa ante lapsum; quod idem a me dilucidè in prioribus ita ostensum ac declaratum est, ut nunc non necessum sit, id de novo veluti repetere, aut idem, velut crambē, ut ajunt, bis coctam apponere, Iubet tamen majoris lucis gratiā nonnulla adjicere, quò unicuique facilimum perceptu evadat.

N Genitores primi (sicut sacra docet pagina) naturā sibi propositas quoniam non observabant leges; in tantæ transgressionis poenam quandam bonorum acceptorum magnam passi sunt jacturam. Has autem leges tantum virtutis nomine colebant, quas nos κοινωνίας εὐρόταν, seu principiorū practicorū innatorū, satis cōvenientē a pellatione, ornare solemus, verum enim verò, si quis talem ad me dirigeret quæstionem, quorum jurium indigeremus? Cum rationabili prima vel Jura naturalia insunt nobis, tanquam initia ad virtutem, atque ad viam nobis ostendendam boni & mali, cum ad oculos ferendum discrimen honestorum & turpium, quid beneficio recte rationis

rationis nobis demonstret oppositum
veri & falsi; responsio semper in promptu erit; Nam etsi nobis illa infixa inhaereant, tamen interdum velut obfuscatione quadam, haud secus ac tegumentum imponitur luci, tenebræ lumen extinguunt, nox diem disspellit, obscurantur, idque ob imbecillitatem post amissionem perfectæ imaginis divinæ; sciendum nihilominus rudera permansisse quædam in domicilio animæ, non aliter ac destructâ domo, & ædificiorum structura, remanent nonnulla vestigia. Aut pari modo favilla in pruna ignem absconditum tegens, nec non ferrum, quod candescens calorem retinet, licet oculis intuentium is directè percipi nequeat. Id omne primis Parentibus virtutibus ornatis variis, cunctisque perfectis *donis* tam spiritualibus, quam moralibus, dotatis evenisse, testantur Biblia Sacra. Ista in recolitionem & memoriæ refricationem regulas hasce indubitatæ veritatis, nullamque admittentes adiaphoriam, quæ in vitæ genere observatu dignissimæ visæ sunt, tradere voluit hominibus, solenniter promulgando

de novo, DEus omnis boni ordinis institutor. Ideò *non* fragilitati ac corruptæ nature, sed potius perfectioni, quâ primitus florebant ADAM & EVA, adscribi merentur. Ast maxime rationi congruum videtur, quod virtutes ipsis congenitæ pro legibus fuerint, quæ *inchoative* tantum & hominibus hodiè viventibus itidem ratione fundamenti insunt; Quibus deinde (ut enarratum,) additus est *decalogus* exprimens ea, quæ facienda & omittenda veniunt, ac explicans voluntatem DEi, secundum quam actiones nostræ sunt instituendæ, eo ferè modo, quo ipse illis vitam absq; ullâ macula degentibus sese manifestavit, declarans quoque & illustrans, instar speculi, ex rationali anima deductas istas notitias, ut eæ nobis insculptæ longè fidelius memori in pectori condantur, pariantque fructus bonitati Numinis quadantenus consonantes. Et quamvis luminis naturæ beneficio hæc præcepta cognita sint, tamen ad eorum præscriptionem & normam vix condignè nosmet componimus, nisi semper melioris recordationis

dationis causa ante oculos mali e-
vitandi ergo, positæ essent virtutes,
quas tamen augendas & supplendas
esse existimat omnis literatorum
Chorus.

2. Plurium ad hæc diversissimæ agi-
tantur sententiarum dissensiones, pro-
pugnantes *REIPUBLICÆ* institutionem
introductam esse saltem ad arcendum
peccatum, eliminando prorsus & re-
jiciendo *causam principalem & primariam*,
quæ præcipua est in bona admini-
strationis felicitate.

3. Inveniuntur & illi , qvi *REMPU-
BLICAM* quamcunq; solius peccati status
esse contendunt. Horum sanè mentibus
abolita esse videntur mandata divina,
per quæ Deus insinuare voluit Regno-
rum perennitatem in terris, testimonio-
num ejus rei perhibēte Sacro Codice; Et
si verba hæcce alium in sensum torque-
antur ; haud longè aberit, qvin DEum
peccati originem auctoremq; mali esse
statuant ; à quo nos scelere nunquam
non immunes servet S. Sancta Trinitas.
Quia si à DEo proficiscitur ; utique na-
turam boni sibi induit, atque sic immi-
tatur hujus mundi viator semper Crea-

torem, tanquam manuductorem; quoniam ille (ut ex antecedentibus liquido patet), Politiae in modum omnia administrat, ac administrari mandat jubetque.

¶. Conantur denique alii, tanquam reali quadam irreconciliabili distinctionis admissione inter *Politiam & Naturalem Societatem* hominum, à proposito veritatis, ac sententiæ nostræ scopo, nos deturbare ac removere, ubi tamen unicuique in comperto est, tantam inter illas nequaquam intercedere disconvenientiam, quin adhibito vel aliquali reconciliationis temperamento uniri ac fociari queant, dum scilicet unum earum ceu *antecedens*, alterū verò ceu *consequēs* apprehendatur: appetitus qvippe semper sua prioritate naturæ ac ordinis voluntati eligenti præponitur, inter se autem consentiunt instar vinculi, dum in sociabilitatem homo fertur, cui etiam propterea implantata à Deo est *societas naturalis*, ex qvo deinde appetitu fluit efficax ad *RESPUBLICAS* formandas amor; Cujus & naturalis inclinationis stimulo cunctos mortales teneri confiteri necessum habent omnis ævi Politici.

s. Pluri-

¶ Plurimorum denique adhuc circa hanc rem, per omnia scientiæ civilis volumina, obviæ sunt disceptantium discrepantiæ, quibus enumerandis & charta & tempus deficerent. Maxima autem pars illorum, aliorum dictis ac autoritatibus tantum cum fulciatur, nullis subnixa rationum fulcimentis, quibus tamen inniti ipsa desiderat rerum necessitas, idcirco quoque tanto labore lubens supersedeo.

Art. XX.

ERGO favente æterni Numinis gratia, Huicope hanc, qualemcunque *REPUBLICÆ* ri finem Ideā, in quantum ingenii vires & in- imponen- stituti ratio permittebant, exiguo styli do clau- penicillo, rudiqve depinxi colore, & det. lineolis minus politis deductis, immaturaque mea ætate descripsi, atqve dilineavi, ita accommodando metotius hujus opusculi, in quo jam versatus sum, elaborationi, ut prima potius rudimenta Civitatum, ex quibus pro- gressu temporis singula universi orbis imperia sua ceperunt augmenta, seu quasi ē suis exsurrexerunt cunis, in conspectum darem Eruditorum, eoq;

ipso ulteriorem aliis, eruditionis, iudicii, experientiae, ac acuminis subtilitatum rationes excogitandi subnixis fulcris atque columnis, quibus volupe fuerit, in tam ardua, difficulti intellectu, perceptu, ac inventu; quam sublimi materia suum exercendi calamum meditandique ansam relinquens. Circa calcem denique hujus discursus, priusquam remos inhibeam, velaq; colligam, ac propositi mei portum hoc in cursu intravero, aperta quadam sinceritate oris cordisque contestor, nihil quam meae sententiae derogatum iri, vel ejus veritatis aliquid decadere; si quis cum BOSIO primae illius REIPUBLICÆ statum sive imperfecti, sive cum aliis imaginarii, sive improprii nomine & caractere insigniverit, modo ut in propatulo sit, in eo omnium subsequentium primordia, incrementa ac fastigia, tanquam intra claustra suæ originis ac fontis latuisse; immo vero modo constet Deum illum Triunum, ut rerum omnium, ex quibus natura conflata est, Opificem, ita quoque totius & ordinis & rationis auctorem sapientissimum, ne aliquid contra seriem & eos, quos ipse terminos consti-

constituit, fieri videatur, cunctaque si-
cut in pondere & mensura produxisse,
ita qvoque accrescendi & decrescendi
vicibus subjecisse, adeò ut maximorum
operum molimina minimis initiis suc-
crescerent, eaque, & quæ in cæcis mor-
talium oculis vilia prorsus & tenuia
apparent, causam ac fundamentum tre-
mendis & fidem excedentibus suppedita-
rent structuris. De cetero, scias, B.
L. Quod licet omnium buccæ plenæ
sint hisce, qvod nihil pro tempore in-
veniatur, quod non inventum sit pri-
us, & nihil jam dicatur, quod non di-
ctum sit prius, & nihil in hacce caduca
fragilitate vitæ agatur, quod non actum
sit prius; Attamen nec nostra adeò ste-
rilis est ætas, nostraq; secula adeò sunt a-
rida torridaque, quin cum non omnia
in principio rerum tam exacta persti-
terint, occasione acceptâ aliquid boni
excogitare queant; Sanè & experientia
hinc maximum nostræ cognitioni ad-
jecisset cumulū, si in statu illo omnium
primo amœnitatum gratiis plenissimo,
in qvo primi Parentes primam vitæ suæ
lucem aspexerunt, plusqve perce-
perunt, quam nemo nostrum nunc
nec

nec visu & ratione hodiè haurire potest,
permanere licuisset.

Verum jam sisto gradum, manumq; à
tabulâ retraho, atq; anchoram jaciendo
in portū tranquillitate gaudentē memet
insinuo ; quod cùm temperata brevitas,
tum suscepitarum rerum onus deside-
rant, ne odiosa prolixitas conatum
turbet, longioris intentionis velis iter
faciendo. Interim quilibet cordatoris
mentis alacritate à divinitate dotatus
persuasum sibi habeat, qui pariter suum
nomen publicæ spartæ famæque alli-
ciente Minerva, seu proprio Marte
invitante subjicere ac committe-
re olim constituerit, me hanc navi-
gationem sic instituisse, ut exceden-
do è statione adolescentiæ littus tan-
tum lamberem, & juvenutis promonto-
ria duntaxat legerem, & alta verò qvævis
robustæ ætatis tanquam meis viribus in-
accessibilia libens lubensque vitando, ta-
lem consequerer censoram a faventio-
ribus & æqvioribus, quæ ad majora, cre-
scientibus annis, audēda memet alliceret.
Mihi igitur hac vice sufficiat sinceræ
voluntatis tantum modò ostendisse ac in-
dicasse conatum ; Cumque diuina Ma-
iestas

jestas ineffabilis misericordiæ afflatu ex
cœlo prospiciens, terramque sustinens,
per tot difficultatum myriades, syrtes, la-
byrinthos, atq; tot variarum sententiarū
præcipitia, huc usq; remigia meæ cym-
bulæ direxerit: Idcircò eidē in tantibea-
neficii agnitionem; non ad morem vetu-
statis, superbas & ambitiosas in terrarum
orbe miraculorum pyramides, imma-
nesque colosso, turres celebres, splen-
didasque auro ac argento erigam
statuas; sed submissæ devotionis, omni-
bus viribus per sempiternas gratiarum
actiones, trophæa statuam, quod erit
usque ad cineres, & perpetuò post e-
gressum ex hac vita, cunctarum mea-
rum cogitationum, actionum, la-
borumque meta, terminus,

F I N I S.



Natalium splendore, generosa virtute, nec non li-
terarum gloria verè NOBILISSIME,

Dn. SIMON Silliegreen/

Amice ut nunquam reconciliate, ita candi-
diori affectu perpetim colende !



Ot unanimi concentu certatim TIBI, Dn. Silliegreen acclamantes con-
gratulantisum voces, obiusa hac, &
nullo plane Ciceroniano rore tincta
mea etiam ut intersperarem crenata,
non levis quidam scribendi pruritus invitavit, aut
ab omni etatis memoria in Musarum castris vigens
consuetudo solummodo expressit, sed debiti officii re-
cordatio nec non ardiora mutua amicitiae sacra, sin-
gulari invitationis suavitate, mibi lubens curren-
ti, stimulum quasi Calcar, acriter praebuere. Ast
animus licet meus in votivos ejusmodi applausus
pronus, tanto conatum servore mirifice nunc fla-
gret, noscit tamenis idem parimodo, Iuxa sterilita-
tis conscius, quo elocutionis genere, quam vultus &
affectionum decentiam interiora sui pectoris, TIBI, fide,
amore & obsequio ad cineres usque sibi devindo, con-
digne pandat. Hinc torpe salamus, langue scune
vires, Orationisq; fluvius plane exarescit, quibus
alias stipatus omnino existaret, si saltem vel ex
parte Tanto Amico, venerationis sua magnitudinem
in praecordiis latitante, declarare sibi presumeret,
infucata mea sinceritas. Ut ut autem sit, religiosa
tamen Oris & cordis harmonia, non possum non
impensè meis in eo gratulari fatis, quod mibi con-
tigerit, non tantum sereno sidere, faustoque omne
sua-

suavissima Tuæ conversationis dulcedine frui; Sed &
amicis in paucis Tibi Charissimis exoptato anumera-
ri: Et sane quid mirum? Si & ejus omni conamine
ambirem sodalitii commercium, cuius unicè vir-
tuti ac pietati dicata sunt molimina, cuius quoque
generosa indoles, spretus pravorum hominum con-
globationibus ac symposiis, aliisq; depravatis hujus
seculi blanditiis & vitiorum illecebris (quibus procb
dolor, nostram inquinatam esse juventutem, quo-
tidiana luget experientia) litterarum tancum ar-
dua, ingeniiorum sublimia, & negotiorum grandia,
insigni appetere didicit voluptate, persequi curâ,
venerari industriâ. Luculentissimum tantæ rei testi-
monium, haud saltem inclita illa Academia Ubsa-
liensis TIBI ultero Dn. Elliegreen largitur, quam Tuis
sepiuscule egregiis publicè privatimq; editis eximiis
ingenii & doctrinæ speciminibus resonasse audio,
verum & illustre hocce nostrum omnium scientia-
um Emporium; Dum, ut raseam reliqua, insignem
unc diligentia & lucubrationum tuarum fætum,
materię sublimitate, stylī majestate, nec non pulo-
cherimæ methodi venustate prorsus singularē, in lu-
cem emitis, TIBI proinde Nobilissime Dn. Elliegreen
imo cordis latifundio uberrimam hanc, & ma-
ritati proximam eruditionis tuæ studiorumque
essem vehementer gratulor, feliciorem indies &
proporro exoptans cœlestis auræ effusionem, quò
tandem per inviam, vepribus, spini que obscuram
virtutis viam, præruptum illud, adituque difficile
honoris culmen infra brevi ascendas, cuncta in-
ad actionum tuarum volumina, in honorem DEI,
Regis & Regni, in Nobilissimæ familie decus & orna-
mentum, in amicorum summum delectamen, & ad-

niqz, in immortalem nominis famaqz, gloriam, felicissime dirigendo. Magde debinc mi Dn. Killiegreen eo, quo cœpisti ardore, bujus ligaminis necessitate omnium bonorum TIBI devincire animos ; Continua etiam hocce euo tam præclaro, tamqz, illustri exemplo prodigiosam eorum castigare inscitiam, ne dicam extremam temeritatem & insaniam, qui neglegit omni virtutis exercitio, majorum suorum gloriam, instar cornicis Æsopice alienis plumis rument, genere se Nobiles esse jactantes, cum tamen solum

Virtute decet, non sangvine niti ;

Imò, ea tanum solida est Nobilitas, qua per se crescit, prædicatione suâ alitur, præconioqz, suo inveterat. Nam quis unquam tam perfractæ effrontis, qui Pygmei cujusdam magnitudinem à Gigantia patris proceritate metiat ? Quid humilem Pumilionis staturam, insigni genitoris ejus equabit corporis habitui ! Non berclè, magis, quas si quempiam suâ proceritate omnibus palmam precepere dixerit, quod vel in altissimi montis fastigio consistat, vel etiam quod in humero immanissimi Gigantis elevatus superbiat. Quare

Quid tibi Nobilitas, quid clarum nomen avorum

Si servus vitiis factus es ipse tuis.

Interim producat Divina Clementia in longum annorum seriem vitæ tuae terminum, Tu vero ut cunctis terrarum fueris, infuscata nostræ amicitiae quam morum, studiorumqz pulcherrima similitudo Gordiano quasi combinaret nodo, nunquam obliviscere, sed eandem sincera recordationis pabul perpetim innutrire perge. Quid reciprocè usqz duus Spiritus vitalis hos regit arcus facere allabombit,

Tibi addictissimus Ad Tumulum

RB9-11 ANDREAS MUNSTER